

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCCLV.**

**VD18 90538943**

CIV. Dissertatio Chirurgica, Sistens Historiam Et Examen Methodi  
Foubertianae, Pro Sectione Calculi.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16605**

CIV.

# DISSERTATIO

CHIRURGICA,

*Sistens*

HISTORIAM ET EXAMEN METHODI

F O U B E R T I A N Æ,

PRO SECTIONE CALCULI.

*Quam tuebatur*

JOAN. HENRIC. KESSELRING.

P O R U S S U S.

Halæ die 20. Septembris anno 1738.

D d 2



614

DISEASES

CHIRURGIC

and

DISORDERS OF THE MASTOID

AND TUMORS

WITH SECTIONS OF

JOHN HENRY KESTERINE

PHOTOGRAPH

BY J. H. KESTERINE

1852



Landesbibliothek Oldenburg

*Introductio ad Lectionem.*

**E**X quo chirurgia, repudiato mere servilis muneris, quād ad quod stupemus, infamis fere opificii, titulo, quem seculorum quorundam barbaries eidem partim imposuerat [a], inter scientias rursus collocari, atque honorificentim haberi cepit, ista non solum antiquo suo nitori, quo ante bis mille annos in Græcis jam fulserat medicis, confessius redditum fuit, verum majora quotidie incrementa sumens, ipsam veterum Græcorum doctrinam plane superavit, ut nunc denum, si quo alio tempore, caput inter sidera condat. Non potuit autem non honor atque decus artis hujus celeriter augeri, cum simulac modo pristinam in orbe medico existimationem recuperaverat, plures statim medici atque chirurgi adessent, qui de evehenda ea ad scientiæ fastigium, dato quasi pignore certabant; quin nec desint hodie, qui eidem ex physices, mechanices, anatomæ, reliquarumque chirurgicæ affiniuum disciplinarum capitibus amplificande operam dent. Mirari profecto subit mentem, artem hanc nostris diebus eo erectam esse, ut medicinam, ni antecellere, equare minimum, audacter contendat in Gallia: artem hanc significatam volo, que uno aut duobus seculis haud ita magnifice habebatur, queque ceterum multam splendoris sui partem, quo nunc coruscat, medicinæ debet atque medicis. Verum unde quæsò hæc, quæ olim non erant sic? Scire refert, eum chirurgia conditionem esse, ut præ medicina illa, quæ viscerum interiorum & delitescientium labi medetur, majori evidenter ac certitudine oculos feriat, cum plurimos ditionis sue morbos clare inspiciat, manibusque sedem eorum contrectet. Hec itaque doctrina, cum sic natura sua jam commendabilis utique sit, & præterea accedit, quod ea inde ab origine hominum statim necessaria, utilis, ac culta fuerit, in sequentibus autem temporibus perfecta quidem ita, ut hodie scientiam plane constituat; collectis titulis istis omnibus, cœt totidem preferentiis superbire geslit: jure an injuria? Edicere hic quidem supersedeo haud constitutus litis arbiter; haberi interim chirurgiam, de quo his diebus magis gloriari possit, quam quidem præteritis seculis omnibus, adseverare nullus dubito. Tantum enim abest, ut hodiernum medicinæ serviliciter subjicienda postulari possit eadem, aut medici pristinum imperium in chirurgos, nedium in Gallia, ut faciunt, rationibus aequi validis ac olim muniti affectent. Si quod enim vallet hac in re testimonium externum, fatendum omnino est, Gallianam a multis retro annis majori utique chirurgie quam medicinæ laude apud nos celebratam fuisse, maxima autem eo titulo semper placuisse, quod artis chirurgicæ incrementis aequi ac gloriæ una promovendis perpetuo studuerit. Artem puta, quæ barbaris istis avis, mediis dictis, respectu temporis, quod nos vivendo attiginus, paucorum emplastrorum, quibus

D d 3 vulnera

[a] V. Freindii hist. med. in operibus ed. Lond. p. 498 ubi de existimatione lithotomæ apud Arabes. In Germania vero Recessus Imperii de anno 1548. infamiam a chirurgorum filiis parentibusque absterit. Alia Imperii constitutio anno 1577. chirurgis integrum restituit famam, jurisque collegiorum capaces eos esse voluit.



vulnera coirent, notitia, fere tota absolvebatur, Galli primi, interque primos immortalis Guido a Cauliaco, in monte Pessulanus Professor, instaurarunt, redintegrarunt, atque posteris commendarunt. Verum nullo non tempore eos quoque de tuendo chirurgiae honore, atque eripienda tonsoribus nobilissima arte, per quam sollicitos fuisse, ex historiarum libris percipimus, & ex erectis in hunc finem societatis chirurgorum colligimus. Nonne enim fundata haud ita pridem Regis autoritate Academia chirurgica Parisiensis artis honori denuo egregie prospectum fuit? certe opinor non minus quam ipsi scientiae. Talia autem prudenter instituta effecerunt quidem, ut Gallia a chirurgia commendata dudum fuerit, & nunquam non magistris abundaverit, qui partim arte & opere ipsi excelluerunt, partim alios erudiverunt, quos reliquis orbis illic, tanquam ad mercaturam habrum artium, miserat. Hac autem ratione tandem factum est, ut letior rerum chirurgicarum facies ubivis adparuerit, cum ejusdem perfectioni studere nulla non posset suscepere gens, penes quam litterarum amor fuit, atque emulatio. Haud enim desperare amplius agrum chirurgi facile sinunt ullibi, si quando jam de praediis vita salutisque externis, que in eorum potestate sunt, implorantur, ut potius de illis feligendis, quam inveniendis, dispiciant. Quare vel id documento perfectionis chirurgiae recentioris esse potest, quod uni eidemque malo, pluribus misericordiis obviam ire modis sciat, atque in tanta rerum varietate, qua aptior, qua commodior succurrendi ergo possit esse ratio, penes artis magistros relinquatur optio. Calculo, pro innemedicabili olim fere habito morbo, ac affectu ab iratis profecto superis hominibus immisso, cui neque divus Hippocrates non solum manum non admovit ipse, verum a cuius chirurgia discipulos quoque suos jumento arcuit, quot, queso, hodie non afferuntur auxilia? quot illum sectione vesica tuto auferendi methodi prostant?

Recentissimum harum quidem, necdum litteris, quod moverim, publice exscriptam impräsentiarum exponere consilium cepi, cum aliqua mihi imposta sit lege academica necessitas conscribendi dissertationem, quam nuncupant inauguralem. Hoc autem ejus feligere argumentum haud dubitavi, postquam autor istius methodi Dominus Petrus Foubert, Chirurgus Parisiensis Juratus, Regius Aulae Parlamenti Chirurgus Ordinarius, Nosocomii Charitatis Chirurgus Primarius Substitutus, Academiae Chirurgorum Sodalis, vir humanissimus, neque a litteris alienus, eandem me, tam viva voce, quam scripta magnam partem, ipse docuerat, atque sic effecerat, ut methodi sue historiam vobiscum, Lectores, eo integrus & eo confidentius communicare possem. Preterea vero oblata hac occasione magnopere lator, quia jam fieri posse spero, ut scriptio mea forte novitate materie vobis placeat, si ceterum exquisitiorem doctrinam in examine, quod historiae novae methodi subjici, desiderabis: hoc ipsum autem aliquibus non minus historia circumstantiis ideo interpolare volui, ne disquisitio mere imaginaria, atque lectio argumenti hujus nimis tedium evaderet. Vos saltē eum mihi favorem ostendere velitis, ut tam primos hos meos ausus chirurgicos benignè excipiatis, quam quæ in chirurgiae recentioris laudem & chirurgorum gallorum honorem jamjam dixi, dextre interpretemini. Quæ enim hac de re præfatus sum



sum; nec adulandi animo genti, apud quam morum aliquam nectore mihi licuit,  
nec multo minus auncupanda hinc gloriolæ caussa, a me prolata esse, verum ha-  
beatis. Itaque mihi bene cupientes, has paginas oculis, menteque lusirare  
pergitte.

## Historia methodi Foubertianæ.

## I.

**A**ccidit, cum laudatissimus *Foubertus*, methodum secandi calculum cum adparatu magno à peritiore quodam lithotomo Aurelianensi edo-ctus, primis laborum suorum chirurgicorum annis de hujus & singularium methodorum commodis ac incommodis severius cogitaret, atque cognitio-nis partium huic spectantium obfirmandæ gratia, harum anatomie multum insudaret, is in dissectione vesicæ, cera repletæ, novæ methodi ideam primum acciperet, tumque ejus periculum, arrepta acu triquetra, ordinario paracenteseos abdominalis instrumento, & scalpello chirurgico recti-ori (*bistouri droit*), statim faceret. Cui notioni ab isto tempore inhærens, eandem quidem ab a. XXVII. hujus seculi ad XXXI. meditatione fal-tem, & captis pluribus in cadaveribus experimentis magis perfecit; qui-bus autem voto respondentibus, accedente insuper suisu amicorum, qui factorum hucusque feliciter tentamium testes fuerant, tandem methodum suam viventibus adplicare hominibus non solum apud se constituit, verum nova hac operandi ratione, prout eam sequentia commata exponent, die X m. maii, a. p. C. n. 1500cc xxxxi. adolescenti XIV annos nato, cal-culum duarum unc. cum III drach. primo ac felicissimo ausu facile subtra-xit, & æger mensis spatio persanatus fuit.

## II.

Rēm ipsam ordine recenseamus, quædam de necessaria ægri præpa-ratione mox dicere attinet. Vesicam lotio turgere prima methodi hujus notio, id quod statim omnibus patebit, necessario postulat. Verum cal-culosorum hominum vesicas, vel ampliores in statu fano, ex quo calculo infestantur, mechanica quadam necessitate arctari, quem fugit? præterea calculos continuo ad mejendum extimulari, nec urinæ tantum, quod distendere satis vesicam valeat, ceteris quidem paribus, continere, quis nescit? quare autor curæ suæ concreditos ægros statim admonere solet de studio continendi lotium, per maximum, quod ipsis fuerit tempus possi-ble; consultit iisdem largiori insuper potu, eoque partim leniente, emöl-liente, quando vesicæ multum induratæ (*vesse racornie*) suspicio est;

partim



partim leniter diuretico prospicit, quo his prudenter una continuatis aliquandiu, vesicæ majori lotii quantitati capienda sensim adsuebant. Atque sufficit ex mente autoris methodi, dummodo ægri mensuram vitri minoris retinere didicerint. Haud enim ullis injectionibus, siphonis ope faciendis, vesicam distendi vult, quin istum repletionis modum serio disuadet, omninoque vetat, experientia noxas edocitus, cum eundem duobus aliquando ægris adhibuiisset. Quod autem præparationis reliquum est, generalioribus remediis, ut fieri communiter assolet, peragitur.

## III.

Cum de operatione chirurgica ipsa conventum fuerit, æger super tabula, sectioni calculi cum adparatu magno apta, collocatur, hoc modo cum discriminè, ut situm magis horizontalem, id est, magis inclinatum obtineat, atque sic alligatur eidem modo dictæ methodo familiari, & nulli non cognito [b]. Chirurgorum ministrantium duo genua ægri in operatione firment; tertius à tergo humeros reprimat; quartus à dextra positus genitalia sursum recta trahat; idem altera manu, aut quintus à sinistra ægri collocatus mantili, sive linteo alio quopiam multiplicato ita, ut pilam quodammodo referat, (*avec une pelote*) hypogastrium modeste urgeat dorsum premendo. Reliqua, ut moris est. Dum hæc autem a magistro præcipiuntur, æger interim lotium colligit, cui nimirum in hoc doloris lecto reposito colis deligetur, simul ac lotii reddendi ipsum ceperit desiderium. Nec enim fistula aut cathetere aliquo, in vesicam immittendo, sicut inde quidem lithotomiam alias ordiri solemus, *Foubertiana* administrationis ratio opus habet. Quo autem urinæ iter commode intercipiatur, autor methodi parva illa machina comprimente *Nuckii* [c], quæ nobis termino vernaculo bremse audit, hucusque utitur, quam præter chalybem ex aluta confici, molliusque gossypio infarciri curavit, quo omni læsioni caveat.

## IV.

Reliquum adparatum, qui novæ huic methodo proprius est, constituit (1) acus triquetra longior, cannula sua, quæ superna sui parte fissâ est, armata, ceterum autem paracenteseos acui novissima ratione fabrefactæ [d] figura parum absimilis, ut habet icon 1 & 2 adjectæ huic dissertationi tabulæ æneæ: (2) scalpellum lithotomicum peculiaris formæ, alterutrum horum, quæ sistit tabula in iconæ 3 & 4. Atque arcuatum quidem

[b] *Garengeot* Traité des operations de chirurgie Tom. II. pag. 66. edit. Paris. 1731.

[c] *Basi von Bandagen* p. 156. Apud *Nuckium* postomis hæc delineatur fig. XII. p. 140. obs. & exper. chir. ed. Lugd. 1714.

[d] *Garengeot* Traité des instrumens Tom. I. T. XVI. fig. 3. ed. Paris. 1727.



dem cultellum, haud ita pridem à se inventum, rectiori alteri imposterum substitui mavult autor. Addiderat olim ingeniosissimus vir tertium aliquod ferramentum itidem peculiare, quod forcipes in vesicam conduceret, & plагam insimul dilataret: verum cum suam lithotomiæ rationem, ubi bene peragitur, dilatatione vulneris supersedere posse animadverteret, illud mox ipse ultro omisit. Ad absolvendum ergo opus sufficit uti ordinario conductor Hildani latiore, Gallice gorgeret dicto, & consuetis forcipibus dentatis, modo paulo longioribus forte ad id selectis; quemadmodum reliqua non minus ferramenta, sicuti iis opus fuerit, & qualia sunt forcipes incurvæ, uncus, cochleare, cetera, prouti quidem hodie parantur, omnino satisfaciunt.

## V.

Quibus cunctis, æque ac ceteris ad deligationis adparatum facientibus rebus bene ordinatis, ipsa sequentem in modum suscipitur operatio. Chirurgus, quam commodissime habuerit, ante ægrum (3) collocatus, indicem digitum sinistram manus, oleo inunctum, in hujus intestinum rectum demittit, quo perinæum magis tensum, & una intestinum, id paululum detorquendo in alterum latus, à læsione fortuita magis tutum reddat; mox dextra prehendens acum triquetram, fistula sua munitam & oleo madidam, illam anum inter & tuberositatem ossis ischii sinistri lateris, oblique sursum, audaci non minus quam prudenti manu intrudit, ut punctio fiat in angulo, quem formant musculi acceleratores cum erectoribus, atque acus vesicam collum inter sic dictum ejus & ureterem hujus lateris ingrediatur. Acum penetrasse vesicam illico manifestat lotium cum sanguine juxta cannulam depluens, quo signo accepto chirurgus manus mutat, ac tradita machinula sinistram, dextra acum, speciatim sic dictam, intra cannulam ad aliquod spatum, quod in alterutro manubrii cannulae latere, levi incisione quadam signari curavit, (vid. 1C. I lit. e) retrahit, quo abscondat apicem, alias facile vesicam e regione opposita læsurum: tum firmato magis sinistra manu acus atque cannulae manubrio, ne situs ullo modo variet, dextra arripit scalpellum, aut rectius illud apice obtuso, icon 3 delineatum, aut alterum magis arcuatum, cujusque apex globulo præmunitus est, ut icon 4 exhibet. Modus autem uno alterove utendi, quodammodo diversus est. Quando itaque chirurgus rectius illud adhibere constituit, mox ejus apicem ac dorsum in fossulam, quam cannulae fissura super acu intus latente efformat, dimittit, atque hoc trahite ulterius gliscendo, scalpellum ad finem usque dictæ fossulæ, ubi nempe transversim clauditur, (vid. 1C. I. lit. b.) deducit, hoc ipso opere externam plagam, quæ fiat secundum musculi erectoris exprorectionem, superiora verlus continuando, sat magnam necessario infligens. Ut autem vesicæ vulnus amplietur, jam scalelli apicem, missa tantisper fossula cannulae, levat, dum dextram manum ad sinistram, & insimul scalelli ma-

Tom. IV.

E e

nubrium



nubrium ad manubrium acus triquetrae adpropinquat, quo molimine non potest non vesica pro lubitu incidi, cuius interim vulneris magnitudo maiore vel minore lotii profluvio aestimatur. Hoc facto, chirurgus conatus priori contrario scalpelli apicem remittit, diducendo rursus manus, dumque scalpellum tandem eadem via, qua in corpus illud immiserat, educit, relicta tamen acu triquetra, quam sinistra tenet, plagam exteriorem, ut necesse judicaverit, adhuc amplificat. Ita quidem se gerere oportuit circa usum rectioris scalpelli lithotomici: si vero chirurgus arcuatum illud praecoptaverit, hoc prehensum itidem dorso suo fossulæ, quæ in cannula est, adplicat, atque ad extremitatem hujus id gliscere facit, donec hic loci hæreat, ubi nempe globus, quo apex præmunitus est, profundius collocatur: hac autem agendi ratione obtinetur, ut plaga mensuræ altitudinis arcus scalpelli hujus æqualis, ac sat ampla, uno eodemque ictu fiat. Quodsi tamen vulnus adhuc ampliandum postularetur, sufficit haud immutato situ manuum, utrumque pugnum, qui ferramentum continet, una deprimere, quo intus fecetur vesica, aut levare, quo magis externa plaga hiet. Ceterum hac quoque peracta encheiresi, scalpellum sicuti introductum fuerat, modeste extrahendum est, relicta vero adhuc acu triquetra. Super hanc enim, post infictam plagam, dextra porro conductorem *Hildani* communiter gorgeret dictum in vesicam compellit, dum lingulam hujus ferramenti fossulæ, in qua gliscat, ita committit, ut dorsum conductoris, quod ejus convexitas est, superiorem vulneris angulum speget. Ubi sic autem in vesicam deductus fuerit, chirurgus ambo ferramenta apte invertat, sicuti mos fert, atque super conductore, jam inferiore, ac in vesica relinquendo, acum triquetram una cum cannula sua educat, tradito post conductore sinistræ. Hic viam denique sternit forcipibus, quæ methodo plane consueta immittuntur, illoque tum, ut decet, subtracto, calculum querunt, quem prehensum, integrum, majorem licet, comode modo intra eas collocatum, absque illis quidem motionibus ac jetigationibus brachiorum, quas alioquin præcipiunt, data satis spatiovia, hac methodo eximere licet. Exulet enim omnis plagæ dilatatio, aut si scapham scapham dicere expedit, violentia, obtritus, dilaceratio. Quin ponamus evenire aliquando, ut vulnus infictum magnitudini calculi non prævise, haud respondeat, præstabit sane eo in casu quoque angustiorem aliquem cultellum à latere ferramentorum introducere, ac plagam nova sectione, maxime innocuo divisionis modo ampliare, quam illam temerario ausu ac incerto eventu lacerare, inflammare, morti dare. Experto crediderim auctori, ex cuius mente hæc quoque loquor, utpote qui olim ferramento dilatante usus fuit, quo quidem hodie de industria abstinet. Quod autem operationis reliquum est, non minus ac deligatio vulneris, consueto modo perficitur.

VI. Jam



## V I.

Jam vero rimari scrupulosius partes , quas sectio , descripta modo (5) methodo administrata , præcise tangit , e re & ordine est. Sunt autem eæ, ex voto & mente autoris novæ methodi, atque quando rei negotium rite gestum fuerit , solæ incidentæ : cutis perinæi : pinguedo huic substrata , major vel minor : fasciculus carnearum fibrarum , quæ musculum transversalem hujus lateris , quod secatur , formant ; (nec forte hic semper) : substantia cellularis , quæ interstitium musculi erectoris atque acceleratoris occupat , & hic loci vesicam unice obtegit : vesicæ denique corpus , ut nuncupant , ea regione secundum , ubi glandulam inter prostatam atque ureteris ingressum in vesicam , spatum est digitum fere geometricum latum. Præter dictas partes vero si forte continget arterias vulnerari , quin difficiari , id quod sæpius hic loci arteriæ pudendæ externæ accidere potest , lethale sanguinis profluvium , ni steterit sponte , cohabetur pulvillis durioribus , partim pulvere styptico conspersis , ac vulneris oras inter , & cannulam , quæ in medio horum sit , collocatis. Aut si mavis , atque licuerit , fistulam , emoliendæ urinæ dicatam , urethræ immittito , atque omnem plagam pulvillis , linteoque carpto inordinato , ut artis est , replete.

## V I I.

Enarrat hactenus (1.... 6.) novæ methodi administrandi lithotomiam historia , eidem jam exemplorum catalogum subnectere possem , cum is mihi adsit ; nolo autem prolixus nimis fieri recensendo singula , cum dixisse sufficiat , exercitatissimum autorem hac sua methodo octo hominibus , iisque quidem haud in nosocomio publicis ausibus , ut aliquando fieri prohibent , expositis , feliciter calculum exemisse , cuius rei testes , plures , summos partim in arte viros , ut sunt Marechal , Petit , Malaval , aliosque habuit. Usus fuit scalpello rectiori illo (vid. ICON. III.) in sex prioribus ægris , arcuatum autem ultimis duobus adhibuit [e]. Calculos inter ,

[e] Hæc cum jam conscripssem , adferuntur litteræ , quibus amicissimus mihi Henckelius significat , hon. Foubertum , die 19 m. maii , nova sua methodo tribus hominibus , in nosocomium charitatis Parisiense delatis , calculos exemisse , præsente inter alios Dn. Lapeyronie , primo Regis Galliarum chirurgo. Scribit , chirurgum , qui scrotum levavit , altera manu tenuisse pilam , e corio confectam , qua hypogastrum pressit. Ipsum autem Foubertum acum triquetram perquam oblique in vesicam compulisse , quo satis alte eam peteret. Adhibuisse eum uni horum scalpellum arcuatum , rectum duobus reliquis ; in singulis autem nova acu , novoque scalpello , usum fuisse. Vixum fuit amico meo , arcuatum illud scalpellum difficulter agere , quam rectum , pro incidenda etenim vesica illud bis admovere Foubertum oportuit. Ceterum addit hæmorrhagias insignes haud obortas fuisse , omnes , qui adstiterant , latos discessisse , & singulos actus feliciter absolutos



ter, quos subtraxit, considerationem certe meretur botryformis quidam, seu mori fructum tuberculis suis referens, (*pierre meurale*), fere rotundus, niger, durus, malo citri caryophylli fructu ornato (sic mentitur asperitas ejus,) similis; pondere autem III unc. & V drach. cum semisse æquans, juveni XXVIII annorum, multum antea lithontripticis remedii vexato, feliciter, quod est, superflite ægro, subtractus. De quo autem magis gloriari possit autor, est, quod octo inter ab ipso sectos, non nisi ultimus morte abreptus fuerit, qui præterea LII demum ab operatione die, ruri degens, ac alienæ concreditus curæ fatis cessit improvisis, tumuloque illatus fuit, antequam mortis causum investigare licuerat. Tandem vel id annotare e re methodi erit, unum eorum, qui ab autore huic chirurgiæ subjecti fuere, jam LX annos natum fuisse, alium LVIII ætatis annum attigisse, neutrum tamen succubuisse. Quin ultimo juvenem quandam, XVIII die post celebratam in se lithotomiam, persanatum, inter felicium successuum exempla referre licet. Cur enim non liceret?

*Expositio specialior novi adparatus.*

V I I I .

**V**aria, nec ea inutilia quidem circa ferramentorum fabricam, conditionem, usum atque actionem, quorum levis modo in historia (4. 5.) mentio facta fuit, monenda sunt; quare haud frustraneum me actuum opus confido, sicubi eorum expositionem specialiorem tradere, quo omnimode cognoscantur, impræsentiarum susceptero, præsertim cum iconum, in tabula exhibitarum, distinctior secundum numeros suos explicatio facienda adhuc restet. Occasione harum autem cum ad dicendum animum inducam, non, nisi de iis instrumentis lithotomicis verba faciam, quæ administrandæ methodo *Fouberianæ* inserviunt, verum ne quidem de his omnibus, sed saltē iis, quæ hæc cum reliquis lithotomiæ generibus communia haud agnoscit. Cum in hunc igitur censum acus saltē triquetra cum cannula sua, atque scalpellum utrumque veniat, de illis præcipue sequentia commata agent.

I X.

Acus triquetra, vulgo *trois-carts*, armamentario lithotomico noviter illata,

solutos esse, nisi quod alteri horum calculos omnes prima vice emoliri haud licuerit, cum octo subtractis, jam viribus nimis fractus esset; alii autem suppressio urinæ supervenierit, quæ XXIV horas duravit, quibus urina fistulæ ope, urethra immisæ, educenda fuit. Hæc ex litteris d. XXII m. maji Lutetiarum Parisorum scriptis, sed sero ad me delatis, unde de eventu ne quidem ipse adhuc temporis certior fieri potui.



lata, potissimum sui partem convenit quidem (4) cum ordinaria illa paracenteseos abdominalis acu centimali, quam ingeniosus *Petit*, chirurgus Parisiensis, atque regiae academiæ scientiarum sodalis, commodiori usui aptavit [f], quod vero major, acusque præsertim longior sit, in eo differt. Magnitudinem autem istam sui postulabat usus, siquidem à coxa infima, ubi intruditur (5), in vesicam pertingere ipsam oportebat: atqui constat, omnes homines partes hic sitas haud æque crasso panniculo adiposo tectas habere, ut hinc pinguiores necessario longiore acum requirant. Verum taliter efformari eam, vel ideo opus erat, quo commodius à chirurgo manuaduci posset; ad manubrium enim usque acum demittere, prohibet necessitas immittendi scalpelli mucronem in cannulae fossulam, cuius itaque pars quædam non minus extra plagam esse debet.

## X.

Doctrinæ ac considerationis curatioris ergo omnem acus triquetrae machinam in duas partes dirimere, sive tum cannulam, tum acum, seorsim contemplari liceat. Cannulam constituit fistula anterior cylindrica A, atque manubrium ejus B. Illa duas circiter lineas crassa, & v minimum dig. in pede Parisino sumtos, longa, in parte obversa, seu anteriori, fissuram a secundum longitudinem suam exorrectam, & ubique lineam unam latam, exhibere debet. Fossulam hanc posterius ad manubrium usque pertingere necesse quidem non est, sicuti nec anterius; hic enim de industria transverso obice b firmiter claudatur, quo scalpelli mucroni, hue appulso (5), fatis resistat, neque acie ejus fundatur. Solemus autem artificibus ferrariis injungere, ut annulum hunc integrum, nec ullibi ferruminatum adponant, id quod bene exequi norunt artis suæ peritiores. Hic annulus in ultima sui ora c multum extenuetur, ita, ut ea fere cultellata adpareat, quo acum, cannulae inditam, arctissime ambiat, cumque ipsa unam quasi superficiem continuam oculis fistat. Id quod cum in fistula aliqua ex argento fabrefacta tam apte fieri nequeat, ut simul firmior compages maneat, dicta interim qualitas pro compellenda tutius ac facilius acu in vesicam, saccum membranaceum strictroris texturæ, necessaria postuletur, autor methodi, experientia edocitus, fistulam æque ac omnem cannulam ex chalybe melioris notæ parari mavult, opera, artifici multum negotii faceſſente licet, patru tamen haud impossibili. Chalybs nimirum ægre in canaliculum complicari se patitur, ut hinc inter notas acus triquetrae perfectioris utique referas, videre cannulam undique lævem, nec fissuris, prominentiisve ulla interruptam. Attamen si quis cannulam argenteam, cum & minori pretio constet, vehementer optaret, anteriorem minimum fistulæ partem, quæ fossulam claudit, ex chalybe strui, consilii est.

E e 3

XI. In

[f] Garengot Traité des instrumens Tom. I. Tab. XVI. fig. 3 &amp; 4.



## X I.

In manubrio, altera cannulae parte (10), considerare licet cochleare sic dictum *dd*; orbiculum huic præfixum *f*; atque annulum *b*. Cochleare est excavata illa, ac versus extremitatem suam tantisper reflexa pars, quæ manubrium acus, stricte sic dictæ, quando hæc cannulae inditur, recipit, hinc volumini ejus adaptanda, atque paulo brevior ipso manubrio acus fabricanda: ostendit in alterutro latere parvam quandam incisuram *e*, ab orbiculo, in distantia paulo majori, quam quidem est longitudo cuspidis acus triquetrae extra cannulam nude prominentis, hoc est, ad 5 circiter lin. factam; signo, acus cuspidem intra vaginulam suam latere, ubi ad hanc usque incisuram manubrium acus retractum fuerit. Orbiculus inferna sui parte cochleare, jam descriptum, sustinet, in superna autem sui parte exsectionem semilunarem *g* oculis sicut, quæ commodius saltem demittendi ac conducendi scalpelli caussa ibidem fabricata est. Annulus denique *b* in convexa cochlearis facie eidem, mox eo in loco, ubi cum orbiculo ad angulum rectum conjungitur, ferruminatus, ceterumque digiti chirurgi capax, continendæ firmius machinæ unice infervit.

## X I I.

Acus, altera ferramenti hujus pars principalior, quæque ei nomen dedit, componitur cylindro solido, chalybeo *C*, atque manubrio *D*. Ille acum proprie format, dum extremitas ejus e triplici regione in unam cuspidem trilateralem, summo studio acuminatam, effingitur, quæ cuspis 4 circiter lin. longa sit, & cannulam superemineat, hincque totidem lineis longitudi integræ acus longitudinem cannulae (10) supereret. Quod reliquum est, eo dispiciatur, ut acus hæc cylindrica cannulam perfecte repleat, ne locus ullus peregrino alicui corpori superficit, sese acum inter & cannulae ultimam oram insinuandi. Tum quoque curæ sit, acum manubrio suo ita infigi, ut planities una i e tribus illis, quæ cuspidem conficiunt, præcise sulco, qui manubrio insculptus est *ll*, respondeat. Sic quippe efficitur, ut scalpelli apex, huc perductus, securius & que ac modius super planitie ista collocetur, ac contineatur, quam quidem ubi jugum aliquod cuspidis, inter binas ejus planities assurgens, huic substerneretur. Manubrium, e quacumque materia apta confectum, semper manus potius, quam minus feligatur, quo plenius tota manuprehendi, ac in situ immotum servari possit. In hunc quippe etiam finem partim sulcus ille manubrio insculptus fuit, partim quo scalpello via liberior fieret, maxime dum rectum adhibetur, & sub incisione vesicæ interiori, manubrio suo deprimitur (5). Omne siquidem officium, immo finis totius acus triquetrae, eo tandem absolvitur, ut parata primo in vesicam via, post aliis ferramentis, in eam compellendis, itinerario sit.

III. Ce-



## X I I I.

Ceterum machinam hanc longitudine, aut crassitie sua, pro subiectorum habitu, aut ætate, variare, summæ necessitatis non est, dummodo in manu prudentis chirurgi collocata fuerit, qui pro circumstantiarum differentia, cum discriminè quoque illa uti noverit. Hic autem ea utendi modus est. Chirurgus manubrium acus, cannula sua munitæ, plena dextræ vola complectitur, immisso digito medio ejusdem manus in annulum, indice vero super cannulam exorreto; hoc puta metitur, quoique acum intrudere consilii esse credit. At hoc facto, & instrumento sinistræ tradito, sicuti methodus præcipit (5), lœva manus cochleare cannulæ, atque partim manubrium acus amplectitur, indice digito in annulum demisso, pollice autem lateri, aut sulco manubrii, prout circumstantiæ ferunt, applicato.

## X I V.

Facilem acus triquetra commode prehensæ (13), ac ceterum non minus bene fabrefactæ, agendi rationem illico capit ille, qui capit mechanicam plani inclinati actionem, cuius puta actio increscit, prout angulus, quem format cum linea horizontali, decrescit. Atqui docet consideratio cuspidis in acu triquetra, illam tribus planis inclinatis confieri (12); quare inde actio ejus in ratione tripla amplificabitur. Cum autem tres hæ cuspidis facies totidem porro acies, ut juga inter binas cuspidis facies elevata sistant, quarum quælibet denuo duobus planis inclinatis exstrui concipitur atque conspicitur, sex plana inclinata, aliam saltem directionis lineam agnoscentia, tribus illis accidunt, atque acus vis atque potentia summatim in nonupla ratione augetur, positis planis omnibus æque inclinatis. Hæc si mallet quis ex cunei proprietatibus explicari, contra illum ego quidem haud pugno, sicut nec ille contra me, quandoquidem duo plana inclinata, horizontali sua parte sibi adposita, ita, ut angulus inclinationis unius eundem alterius respiciat, cuneum efficiunt; quare nunc facillimo negotio quivis investigare poterit, quot cunei agant, dum acus triquetra adiplicatur, cum plana jamjam numeraverim. Hæc de cuspede acus. Qua vero ratione agat reliqua machina, maxime autem ea fistulæ pars, quæ acus cuspidem ambit, eruendum quoque est. Itaque siste tibi fistulæ ultimam partem sub coni truncati imagine, quem utique referre debet, dum ab artifice versus ultimam sui oram sensim attenuatur (10); aut si mavis, siste menti tuæ extremitatem totius acus, hoc est cannula sua circumdata, sub figura composita, cuius dimidium, quod verticem respicit, est pyramis triangularis, alterum autem ejus dimidium, quod basin continet, coni figuram, & quidem truncati, habet. Atque superioris illius dimidii agendi rationem modo explicatam dedi; jam ut intelligatur item dimidii inferioris mechanismus in agendo, dico: hanc non minus



minus partem agere ex plani inclinati legibus. At regeris, nulla omnino plana in corporis istius rotundi ambitu conspici; quare rationi ulterius auscultandum erit. Omnis coni genesin concipere licet ex impositione circuli unus, semper minoris, super alium, semper majorem, ita quidem facta, ut centrum unius centro alterius infest, duorum proximorum insuper differentia secundum diametrum suam infinite parva sit; circulorum horum maximus audiet basis, minimus in punctum abeuns vertex coni. Jam autem omnis circulus æqualis est polygono infinitorum laterum; quare conus aggregato polygonorum numero infinitorum laterum constat. Cumque circuli infinite parum diametro differentes, sibi superimponantur, atque hinc in omni punto sece contingant, dum accumulantur; latera inde coni secundum longitudinem ejus jam spectata, numero infinita eo ipso quoque exsurgunt, seu, quod idem est, superficies coni infinitis numero lateribus, quæ tanquam lineæ, quales sunt, ex vertice coni ad basin ejus circumquaque tensæ concipiuntur, confit. Horum autem laterum duo, eaque sibi proxima, sine plano, quod concludunt, cogitare impossibile est; quare conus circum circa planis tegitur, atque representat pyramidem infinitangulam, sicut cylindrus prisma infinitangulum esse docetur. Cumque porro latera hæc circum omnem conum deprehendantur, atque in orbem, seu in se redeant, ita, ut primum latus cum ultimo planum conficiat ultimum, tot quidem plana in cono adsunt, quot latera; (alias in superficie plana demto uno). Verum in cono latera numero infinita; totidem itaque plana. Cum autem denique nullum horum axi coni, aut lineæ huic parallelæ, parallelum esse possit, obstante quidem coni natura, & paralleli notione: quin ad angulum potius vergant; quot plana in coni superficie adsunt, totidem etiam inclinata erunt. En itaque conum ex infinitis numero planis inclinatis conflatum. Jam cogita modo, valere de omni coni segmento, facto normaliter ad axin, hæc, quæ de toto illo jam evici, & ad inferius illud dimidium figuræ compositæ, in acus triquetrae extrema parte conspicuæ, adplica, atque perfacilem actionem ejus, secundum hanc quoque partem, una intelliges. Sub finem hujus considerationis item addo, aptiorem trajiciendo acum triquetram fore, cuius cuspis sensim, magisque acuminata effingitur, mehr spitz und verlobren zugeht; quam quidem ubi brevior ac obtusior fuerit, rei & corollarii hujus ratione in illa plani inclinati conditione, quam mox in initio hujus commatis citavi, statim reperiunda.

## X V.

Pone acum, de qua satis dixi (9. . . 15.), in adparatu collocatur scalpelum, aut rectius illud, in icon 3, aut alterum arcuatum, in icon 4. repreäsentatum. Componitur prius longiori lamina *E*, breviori manubrio *F*. Illa ex optimo chalybe fabricata, v. dig. circiter longa, ac in summa acie 6. vel 7. lin. lata, bene debet esse cultellata, dorso item esse recto & sat tenui, ne hujus crassitudo latitudinem fossulæ in cannula (10) excedat, acie tan-



tandem sensim desinente in apicem, cuius extremitas studio obtunditur *m*, ne lœdat forte alienam vesicæ partem, dum missò itinerario, scalpelli apex quandoque nudus intra vesicam attollitur (§). Manubrium pro lubitu efforatum, ac 4. circiter dig. longum, ita adaptetur laminæ, ut firmitatis ratio habeatur, atque cum illa angulum quempiam obtusum formet, quod inde negotium operationis hujus chirurgicæ facilitatur.

## X V I.

Alterum scalpellum, ante duos annos demum ab autore adparatu adjec-tum, lamina breviori *G*, longiori vero manubrio *H*, absolvitur. Illa 3. mi-nimum digitos longa, segmento majori circuli similis fiat, ita, ut in conve-xitate ejus acies, in opposita parte dorsum effingatur. Acies porro anterius globulo muniatur *o*, qui tamen haud nimis magnus sit, quo commode in cannulae fossa abscondi possit. Vel quoque sufficit eam cuspide obtusiori; si-cut in altero scalpello (15), terminari. Recordor etenim me utrumque scal-pellum, utroque modo præmunitum, in autoris armamentario chirurgico conspexisse, æque ac ab illo audivisse, præstare fere arcuatum istum, qui cuspide obtusa est, quam qui globulo munitur, quod ex hoc introductio scalpelli difficilior reddi videtur. Dorsum vero denique hujus scalpelli ideo saltē excavari *r* videtur, ne ex latiori lamina ferramentum hoc valde me-tuatur. Interim magnitudinem plагæ (§), ut latitudinem laminæ, linea altitudinis *p q*, linea dorsi recti mente concepte *r s* perpendiculariter insi-stente, ac digitum unum communiter æquante, metimur. Manubrium tan-dem, v. dig. longum, laminæ ea ratione adponitur, ut inde angulus itidem obtusus *t*, minor tamen illo scalpelli rectioris, concludatur.

## X V I I.

Quæ & quanta sint commoda ultimi cultri præ illo (15) dijudicandum est ex collata utriusque structura, & consideratis una methodi regulis, quatenus nempe sectio cum uno altero peragitur. Atque tutior videtur usus scalpelli arcuati, quod cuspis itinerarium haud linquit (§); aptior præterea, quod simplicior eo utendi modus est; ac promptior denique, quod plaga sat magna, eodem temporis momento, quo culter admovetur, una vesicæ infliguntur. Verum altera ex parte usus ejus minus generalis esse videtur, hocque scalpellum, pro subjectorum habitu, ætate, atque calculi etiam magnitudi-ne, diversæ latitudinis (16) requiri; nec eadem facilitate in vesicam compelli posse, quod summa aciei latitudo protinus, nec ita sensim, ut in rectiori altero, offertur. Tantum quoque abest, ut inventor eorum hoc alteri simpliciter præferat, ut potius arcuatum scalpellum à nemine non securius tractari, rectum vero in exercitata manu prudentioris chirurgi collocatum, eadem plane, ni majora, valere, mihi dixerit, tum quæ dixit, experi-

Tom. IV.

F f

entia,



entia comprobaverit (8). Mechanica ceterum utriusque agendi ratio compo-  
sita est ex actione plani inclinati & vectis. Omnem quippe instrumenti secant-  
tis aciem agere ut plana duo inclinata, ita sibi adplicita, ut cuneum effor-  
ment (14, nulli non constat; atque in his cultris quidem accedit, aciem  
cupidem versus sensim desinere, inclinare, ut actio inde non possit non  
itidem augeri. Vectis autem actio non minus in his luculenter deprehenditur.  
Quando enim vesica cum scalpello recto inciditur (5), tum temporis an-  
terius quidem laminæ resistentiam seu pondus, posterius vero manubrio vim,  
sive potentiam adplicari palam est, scalpelli dorso interim exsecta orbiculi  
parte (11) sufflto, verbo: constat scalpellum tum ut vectem unius speciei,  
seu heterodromum, collocato hypomochlio inter potentiam atque pondus,  
agere. Siquando autem cum eodem scalpello externa vulneris ampliatio  
fit, istum denuo quidem vectem, verum homodromum, seu alterius spe-  
ciei talem, agendo imitari liquet, resistentia hypomochlion inter & poten-  
tiam reperiunda. Arcuatus culter, sicubi ampliationem plagæ, sive inter-  
nam, sive externam, tentat, prioris speciei vectis est. Vel hinc ergo præ-  
ferentiam scalpelli unius præ altero dijudicare licebit, revocatis nempe in me-  
moriā doctrinis illis, quas de proprietatibus uniuscujusque vectis,  
ac de supputanda ejus actione ex centri distāntia, ceteris quidem pari-  
bus, mechanice tradit.

## X V I I I.

Reliqua ferramenta, quæ novæ methodi adparatum conficiunt, supra  
indicasse (4) sufficit, cum nemo non eadem noscat. Ecce præterea machi-  
nulae *Nuckiane* (3) forma, structura, adplicatio ignota? Ferramenti vero  
dilatantis, cuius mentionem bis injeci (4. 6), usus hodie amplius nou est,  
ut ibidem simul monui. Haec interim ejus idea. Duo conductores latiores,  
qui *gorgerets* Gallis audiunt, ita sibi adplicantur, ut cavitates eorum spati-  
um concludant, ipsi vero hac ratione corpus conicum forment, quod in ver-  
tice lingulam prominentem ostendit, quoniam alter conductorum mas, ut  
nuncupare solent, femina alter seligitur. Eorum autem ansæ haud in crucis  
formam aliamve figuram coguntur, sed mox ubi incipiunt, à latere detor-  
quentur ad angulum rectum, & in arcus efformantur, qui sibi occurrentes,  
(dum alter sinistrorum, alter dextrorum flectebatur), articulo, seu ginglymo  
simplici conjunguntur. Hoc quidem permittente conductores pro lubitu aperiri  
ac claudi possunt. Clausi hi, viam sternente lingula, super acu triquetra in pla-  
gam olim immitebantur, tumque forcipes intra eos demittebantur, quæ ulteri-  
us propulsæ, conductores divaricabant & vulnus dilatabant [b]. Ferramentum  
hoc multi forte hodienum usus in ipsis methodis esset, quæ dilatationem vul-  
neris

[g] Ex cogitavit insuper aliquando *Foubertus* forcipes dilatantes, quas hic insimul de-  
scripsisset, nisi eas totas fere quales & quantas in chirurgia *Jo. Andr. a Cruce* reperiisset.  
Ibidem eas vides in tract. de officina chir. p. 37. 20. ed. Venet. 1596. f.



ñeris postulant, qualis est illa cum adparatu magno secans, sicubi consueto more peragitur. Sed fatis verborum est.

## XIX.

*Explicatio Tabule Succincta.*

*Icon. I.* fistit cannulam acu sua vacuam & seorsim pietam.

*A.* fistula chalybea seu cannula proprie dicta.

- a a.* fissura seu fossula cannulæ.
- b.* pars cannulæ anterior integra.
- c.* ultima cannulæ ora & ejus orificium.

*B.* manubrium cannulæ,

- d d.* cavitas manubrii, cochleare dicta.
- e.* incisura in margine dextro cochlearis.
- f.* orbiculus cochleare superne terminans.
- g.* exsectio semilunaris in orbiculo.
- h.* annulus à tergo cochlearis positus.

*Icon. II.* ipsam acum triquetram separatim exhibit.

*C.* acus, stricte sic dicta.

- i.* cuspis acus unam e tribus faciebus obvertens.

*D.* manubrium acus.

- l l.* fulcus profundus manubrio insculptus.

*Icon. III.* scalpellum lithotomicum repræsentat.

*E.* lamina scalPELLI.

- m.* cuspis obtusa.

*F.* manubrium scalPELLI.

- n.* angulus, sub quo lamina ad manubrium inclinat.

*Icon. IV.* aliud scalpellum offert pro lithotomia.

*G.* lamina ejus.

- o.* globulus, quo cuspis præmunita est.

- p q.* linea summam laminæ latitudinem metiens, (16).

- r.* excavatio dorsi scalPELLI hujus arcuati.

- s t.* lineo recti dorsi mente concepta.

*H.* manubrium scalPELLI.

- u.* angulus, sub quo lamina ad manubrium vergit.



*Disquisitio generalior novæ methodi.*

X X.

**N**E autem aliorum saltem scrinia compilasse videar, præmissis jam iis, quæ rei historiam potissimum componunt, ad alteram scriptioris meæ partem, quæ circa methodi recensitæ disquisitionem occupabitur, devenio. Tantum vero abest, ut, dum hæc molior, in autorem methodi, qui eandem me ipse edocuit, recalitrare gestiam, quin potius id unice agam, ut quas diversis temporum momentis volvi cogitationes, nunc in fasciculum colligam, digeram, cumque aliis decenter communicem. Neque hæc tamen ita ago, ut alios erudire velim, qui saltem occasionem quæro, ut sub publicis disputationibus, quibus cogitata mea exponere audeo, ad firmiores rei conceptus ipse deducar, quandoquidem circa nonnulla adhuc dum ambi-  
go. Siccine autem aliorum inquirere placita nefas erit?

X X I.

Licite quapropter, modeste tamen, hoc in capite generaliori de methodi hujus ætate, autore, adparatu, nomine, convenientia, differentia, ceterisque disputabimus. Atque statim quidem ac dictam methodum *Foubertianam* inaudiveram, illam novitatem sua animum perculisse diffiteri nolo. Verumtamen memorie infidus origines ejus ejus apud antiquiores rerum scriptores quærere, quantum brevioris quidem temporis ratio in itinere utique habenda concessit, non intermisit, evolvique hactenus eum in finem plures, nec tamen omnes, locis, linguis, & tempore distantes autores librorum chirurgicorum, haud neglectis præsertim iis, qui tam de re lithotomica, quam speciatim methodorum historia de industria egerunt. Ast nondum inveni inter eos aliquem, qui hujus methodi descriptionem, nedum illius, ut dudum tentatæ, mentionem fecisset. An forte *Colotus* aliquam methodi ejusmodi ideam habuerit [b]? Recenzebo hic autem, quam methodum, novæ

[b] Apud eum sequentia leguntur: Il est arrivé quelquefois, que le chirurgien arrêté par les obstructions faites dans le canal, ne pouvoit passer sa sonde pour tirer les urines retenues, il se servoit d'un petit instrument en façon de poignard & il faisoit une ouverture au hazard & sans règle au bas de la fesse dans l'endroit le plus charnu, il couloit le poignard le long du rectum, & il alloit percer le corps de la vessie, laquelle étant pleine d'urine favorisoit l'opérateur; ces urines ramassées s'échapoient, les malades se trouvoient soulagés à la vérité, mais toujours avec peu d'espérance de vivre. Parmi ces sortes de malades il s'en rencontrait, qui avoient une pierre, en ce cas l'opérateur passoit deux de ses doigts jusques dans la vessie, où s'étant assuré de ce corps étranger, il introduisoit une tenette, le chargeoit & le tiroit; cependant les malades se trouvoient dans un plus grand danger. *Fr. Colot de l'opération de la taille.* Paris 1727. p. 82.



novæ methodo *Foubertianæ* similem , experientissimus *Ledran* , ante hos 10. annos aliquando tentavit. Is nempe vesicam siphonis ope replebat , & tum scalpellum majus aliquod , cuius lamina duos digitos lata , apex quoque latus ac brevis erat , dissecta prius cute , anum inter & ossis ischii tuberositatem ; uno impetu profunde adigebat , quo vesicam ipsam certo subiret , ceterum plagæ huic fatis amplæ statim digitum , postea hoc duce conductorem , & sic forcipes immittens. Sicut vero hæc experimenta nunquam nisi in cadaveribus fecit , in omnem postea methodi hujus aliquoties tentatæ ideam ultro neglexit , cum talem in vivis tuto administrari haud posse animadverteret. Quæcumque hæc interim sint aliorum tentamina , talia & tanta tamen vix haberi debent , quæ inventæ à se methodi , atque quod magis est , toties feliciter in actum deductæ gloriam , *Fouberto* dubiam reddere , nedum eripere possint.

## X X I I .

Quod autem novum adparatum pro absolvenda hac lithotomia , atque primo quidem acum triquetram concernit , quam inusitatum , quin peregrinum ferramentum tali in negotio haec tenus fuit , tam nota nihilominus in se tota fere quanta est. Siquidem acum , cuius cannula fistula & cochleari instruta est , alios licet in usus , primus excogitavit ingeniosus *Petit* , ut supra citavi , quo loco interim dixi , quod magnitudine differat (9) ; hodie autem in libellum *Denysii* incido , atque eundem jam acum bene magnam punctura vesicæ facienda , non solum postulasse , sed etiam talen ibidem delineasse reperio [ i ]. Restat itaque acui triquetrae *Foubertianæ* potissimum usus proprius , in quem acum hanc convertere *Foubertus* , quod sciam , primus utique novit. Hanc autem ad lithotomiæ negotium semel selectam auditamentis aliquibus magis perficere , haud adeo difficilis labor esse potuit , alio nempe atque alio exemplo monstrante viam. Sic enim factum est , ut argentea cannula in chalybeam mutata (10) , orbiculus superiore sui parte exsectus , manubrium acus triquetrae exsculptum (12) , annulusque à tergo cochlearis adpositus fuerit (11). Hæc quippe sola sunt ea , quibus acum triquetram *Fouberti* ab aliis congeneribus distinguere licet. Scalpellum utrumque vero (15. 16) , si figuram , magnitudinem , aliaque plura species , omnino singulare est , & *Fouberto* itaque , ceu inventori , merito tribendum. Nec enim obstat , quod arcuatus culter aliquis , nostroque scalpello persimilis , olim chirurgis in usum venerit [ k ] , cum casu , in quo uterque admotus fuit , distent. A vulgari scalpello lithotomico in eo non minus quoque differt quidem scalpellum utrumque *Foubertianum* , quod haud plicatile

F f 3 sit ;

[ i ] *Denys Anmerk. over. de Steen en het Steensnyden van Rau.* Leyden 1730. Tab. 11. Idem liber latine prodiit ibidem anno 1731.

[ k ] Vid. figuram ejus in citati supra Jo. Andr. a Cruce chirurgia universali , ibidemque in tractatu de officina chir. p. 56. 10. 20. edit. Venet.



fit; verum constat, scalpelli rigidi usum in hoc chirurgiae genere ni antiquissimum, longo minimum abhinc tempore jam aliquem fuisse. Scalpellum quippe istiusmodi erat eremitæ illi Fratri Jacobo, ut ejus exemplar apud Morandum ipse vidi; ut aliorum armamentaria jam non perquiram [l]. Antiquitus chirurgos quoque novacula plagam fecisse legimus; atque dum hujus quidem jam mentionem injicio, scite simul in mentem venit figura veteris aliquius novaculae, utpote quæ lamina sua laminam reæterioris scalpelli Foubertiani admodum refert [m]. Verum cum haec illustrationis faltem caussa hic immiscuerim, in viam mox redeo, ut in quibus methodus nova Foubertiana & reliquæ convenient, in quibus differant, ulterius dispiciam.

## X X I I .

Comparatione antiquiorum methodorum cum recentiori hac eum in finem faltem opus erit. Etsi autem inter illas Ægyptiaca quoque methodus [n], æque ac ista calculum feminis per dilatationem urethræ eximendi ratio [o], collocandæ sint, neutra tamen hic facile in censu venit, cum neutra cystotomiae veræ nomen sustineat. Verum pertinent hic reliquæ omnes. Atque à Celsistica quidem methodo [p], Foubertiana digitæ immisionem in podicem, ac hypogastrri pressionem mutuatur (3. 5); an in eosdem usus, haud dixerim. Vesicam autem, seu lotio collecto, seu injectionibus, distendi, atque colem molliter diligari, ut Foubertus (2. 3), sic jubent ii quoque, qui methodum Franconianam [q], quin amant, depereunt [r]. In hujus etiam admis-

[l] Omnibus notum quippe est tali scalpello uti quoque Chefeldenum, ejus præterea idem fere est ac Albucasis chirurgi 10. seculi, ut volunt. Vide figuram in Albucasis libro chirurgico, Part 11. cap. 10. p. 204. ed. Argentor. de anno 1532, cui editioni junctus simul & præmissus est Oelatius Horatianus.

[m] Vid. Annotations de M. Laurent Joubert sur toute la chirurgie de M. Guy de Chauvæae p. m. 380. lit. a edit. 1598. It. Marianum Sanctum, Barolitanum, in libello aureo de lapide à velica per incisionem extrahendo, cap. 4. fol. 287. à cujus novacula ibi depicta, & quamcum vesicam secari vult, multum certe abloquit scalpellum, quo methodi Marianæ sectatores hodie utuntur. Reperitur autem libellus iste junctus Marianæ Sancti, Barolitani philosophi ac medici celeberrimi ad communem medicorum chirurgorum usum commentariis in Avincennam, impr. Venet. 1543. 4.

[n] Describitur à Prospero Alpino de medicina ægyptiorum Cap. 14. p. 223. edit. Batav.

[o] Garengeot Traité des operations de chirurgie Tom 2. p. 82.

[p] Antiquissima est, descripta à Celsio L. 7. c. 26. §. 2. Guidonianæ etiam cognomen à Guidone, chirurgorum Hippocrate, trahit.

[q] Petrus Franco, Gallus, hanc necessitate compulsus invenit, ut describit in cap. 33. Traité des hernies, impr. à Lyon 1561. 8.

[r] Eam post Rousselum, mere theoreticum, scriptis & opere illustriorem reddiderunt, sequentes in ordine chronologico autores: Jo. Douglas a new method of cutting for the Stone Lond. 1723. 4. Cheffelen on the high operation Lond. 1724. 4. Middleton on the lithotomy Lond. 1724. 4. Proebisch Obs. chir. de operatione alta. Regiom. Pruss. 1727. 4. Heister Diff. de alto adparatu, Helmstad. 1728. 4. Morand de la taille au a vt appareil, Paris 1728. 8.



administratione aliquando excellit. *Heisterus* machinulam *Nuckii* (3) adhibuit [s]. Præterea autem methodi hujus patroni vesicam per aliquod tempus forvari itidem volunt, atque hos inter *Rousettus* quidem, methodi hujus primus instaurator ac præco insignis, ipsum jam potum blande diureticum (11) distinctis verbis præcepit [t]. Cum methodis vero, lateralibus dictis, *Foubertiana* convenit nomine, regione, directione plagæ (5), ægrique situ (3); à *Cheseldeniana* interim, una sectionis lateralis specie, distingui vult locis & partibus secundis (6); majorem autem cum *Raviana*, altera lateralis operationis specie, similitudinem facile agnoscit. Cum *Mariana* methodo [u] dilatationem plagæ olim communem habuit (5. 18), in quo autem hodie eidem congruat, ni forte eundem illaqueandi modum (3) adhuc exceperis, haud video. Verum dum hæc loquor, me ad istas saltem methodorum circumstantias in præsentiarum respectum habuisse, submoneo, quæ unicuique methodo magis propriæ censentur, quandoquidem non omnes methods inter se, verum singulas cum *Foubertiana* comparare susceperam. Hinc itaque factum est, ut ea, quæ methodus hæc cum omnibus aut pluribus communia habeat, uti sunt forcipes, aliaque (4), comparatione hand attigerim.

## XXIV.

Quomodo e contrario methodus *Foubertiana* a singulis differat, investigatur, simili plane via incedit opus est, qua convenientias detegere licuit (23), ut nimirum conditions unius atque alterius methodi cum præsenti conferendo judicet. Eccui enim methodorum historia ignota? novæ vero sat amplam descriptionem dedi (2. 3. 4. 5). Itane de his judicare difficile adeo amplius erit? Ego saltem differentiis hic fusius exponendis immorari nolo, ne prolixitate orationis tædiosus evadam. Dum id vero jam tacita cogitatione exsequor, mentem subit dubitatio, num *Foubertiana* methodus æque nova sit ratione viæ, quam sibi parat in vesicam, ac quidem est ratione modi administrationis: annum potius ratione partium, quas incidit, cum *Raviana* vel *Cheseldeniana* coincidat. Equidem discessus id fuit autor, cum ipsum hac super re aliquando interrogarem, suamque methodum ad *Ravianam* proxime saltem accedere mihi respondit: cum autem tantum absuit, ut differentiam revera aliquam mihi indicaverit, dubitare minimum tandiu licebit, donec meliora edoctus fuero. Et quamvis etiam vulnus, vesicæ ex animo autoris inflictum (5. 6.), methodum hanc

[s] Cit. Dissert. p. 42.

[t] In editione secunda tractus de hysterotomotikia, quæ prodit 1590, cum prior 1581 jam prodisset, in qua tot & tanta de sectione hypogastrica nondum dixerat. Ex altera vero editione libri transtulit, quæ *Douglas* lithotomiæ suæ modo citatæ, subjecit, quem ibi vide p. 117.[u] Hæc à *Jo. de Romanis* Cremonensi chirurgo inventa: a *Mariano Sancto* vero in libello supra citato descripta fuit. Inde ei nomen.

à *Chefledeniana* primo intuitu, verum non minus quoque à *Raviana* methodo, quod secundum hanc plaga forte in postica magis vesicæ facie atque receptaculis seminalibus propior fit, distinguere videatur, res nondum tamen mehercle confecta est. Locus etenim in vesica, quem autor secari vult (6), quemque mihi etiam in vesica e corpore exempta, probe comprovarare potuit, vix in subiecto secari posse videtur, cum ab ossibus pubis multum occultetur. Annum vero vesica in sinistram partem inclinans, ut scribit *Celsus* [x], huic sectioni favet? Dum acus medio loco inter anum & tuber ischii demittitur, sursumque hac super inciditur (5), non potest inde non fere collum vesicæ intactum manere, hæcque methodus proin in *Chefledenianam* degenerare; si autem proprius ad tuber ischii plагам infixeris, *Ravianam* certe administrabis. Immo! quodsi verum, nec hanc quidem sine incisione colli vesicæ ab ipso *Ravio* factam fuisse, ut dixit *Albinus* pater [y]; nec aliter factu possibilem esse, sicut *Morandus* [z] cum *Douglasio* [a] contra *Alpimum*, filium, disputant. Quid! quodsi denique verum, hanc inter & illam Angli sectionem lateralem, præter ferramenta atque encheires, nullam intercedere differentiam, ut adseverat excell. *Heisterus* [b]. Hæc itaque & similia cum cogitatæ, animum hærere fecerunt, atque quo minus methodum *Foubertianam*, ratione plagæ, in vesica ipsa factæ, omnino novam, cum autore ejus habeam, adhuc impediunt. Quo vero hac de re lector quoque judicaret, eum quidem subnexa huic commoti brevissima lithotomia *Raviana* atque *Chefledeniana* historia, tantisper licet digressurus, invitatum volui.

## D I G R E S S I O I.

*Historia methodi Ravianæ & Chefledenianæ.*

X X V.

**M**ethodus *Raviana*. *J. J. Rav*, Leidenſis olim Professor, huic methodo nomen dedit, quod acceptam eam ab eremita Fratre *Jacobo de Beaulieu*, qui hanc ruditer exercebat, perfecerit, ac bis millies circiter in vivis hominibus administraverit. Interim ipse *Ravins* correctæ à se methodi descriptionem orbi invidit; adsciverat sibi vero, dum viveret & valeret

[x] *Celsus* de re medica L. IV. c. 1.

[y] Vid. ejus orat. in obitum *Ravii* p. 29.

[z] Mémoires de l'Acad. Royale des Sciences de l'année 1731. p. 221. ed. Bat.

[a] *Jo. Douglas* History of the lateral operation, Lond. 1726. p. 75.

[b] Diff. de anatomæ majori in chirurgia, quam medicina necessitate. Helmst. 1797. p. 53. Præterea *Raviu* methodum suam in *Celso* legi ipse dixisse fertur, *Chefledenianam* vero *Celsicam* esse *Morandus* ait. Vid. mémoires cit. annis p. 222. & 224.



valeret adhuc, *Denysium*, Leidensem hodie chirurgum, cui, uti ferunt, omne artis hujus mysterium revelaret. Hic minimum inde callere se legitimam *Ravii* methodum gloriatur [c], negantibus id rursus aliis [d]. Sic autem factum est, ut de vera methodi hujus definitione hodienum disputetur, & genuina, si non ignoratur, incertum tamen sit, ubi lateat. In ista rerum ambiguitate credendum interim est, eas descriptiones præ reliquis fideliores fore, quas concinnaverunt ii, qui rerum chirurgicarum peritiores sunt, & olim *Ravio* frequenter adstiterunt. Jure hinc magnifico perspicuam illam enarrationem administrationis hujus methodi, quam Illustris archiater *Ellerus* observationibus medico-chirurgicis, in nosocomio charitatis Berolinensi factis, inferuit [e], utpote qui *Ravium* plus, quam ducenties secare vidit. Nota magis quidem est methodi *Ravianæ* historia, quam celeberrimus *B. S. Albinus* [f] composuit, dummodo sat fida [g] ubique esset [h]. Verum cum fuerint præterea, qui methodum hanc eodem cum successu, ac ipse ejus autor, a quo nomen gerit, ægris adplicare, verosimile est, plures dictæ methodi conditionem bene perspectam habuissent. Profecto haud sine insigni voluptate recordor, experientissimum *Senffium*, Berolinensem olim in chirurgia Professorem, hanc æque feliciter, ac confidenter, ibidem, meo adhuc tempore, exercuisse. Dum itaque vel hujus veltigia lego, descriptio methodi *Ravianæ*, secundum potiora momenta sua, sequens erit.

## XXVI.

Eger supinus in mensa collocatur hac ratione, ut dorsum ejus quodammodo elatum sit, quo coxarum radices, quæ sunt ischii tubera, obtutui

[c] Vid. observationes ejus de calculo, p. m. edit. lat. 1731.

[d] Cum cit. l. artis hujus intimiora sibi à *Ravio* in mortis articulo revelata esse glorietur, sunt qui excipiunt, *Ravium maniacum* deceplisse, nec tum mentis comporem suisse. Præterea *Abrabam Tit sing* chirurgus Amstelod. probare allaboravit, *Denysium* hanc methodum potius obscurasse, in tractatu; Aanmerk. over de Steen en het Steensny den van Frere Jaques &c. verdonkert door Denys. Amst. 1732. 8.

[e] Medicinische und chirurgische Anmerkung. Berlin 1730. 8. p. 195.

[f] Bernb. Siegfr. *Albinus* in indice suppelletilis Anatomicæ &c. Lugd. Bat. 1725.

[g] Sic carpere solebat *Le Dran* catheterem ibi delineatum, sectionem *Ravianam*,

ni aliquis majoris curvaturæ adhibeat, plane impossibilem judicans.

[h] Præter hos autem hac de re legi merentur *Camilus Falconet* in eleganti quæstione: an educendo calculo ceteris anteferendus apparatus lateralis? Aff. Pariliis 1730. ad disputandum propolita. *Scheffer* in Diss. de variis lithotomiae generibus, Argentor. 1724. *Febr* in Diss. de calculo vesicæ, Basil. 1716. *Hertius* in Dissert. de variis lithotomiam administrandi modis & *Ravianæ* præcipue methodi præstantia, Gießæ 1727. *Heijerus* in Diss. de alto adparatu Helmst. 1728. præter quos supra jam citavi *Douglas* in historia sectionis lateralis & *Morandus* in mémoires de l'acad. des Sc. vid. §. præc. Adde vero adhuc *Le Dran* Parallele des différentes manières de tirer la pierre. Paris 1730. 8.



chirurgi omni modo exponantur, margini tabulae ceterum confines. Tum manus utrinque extremo pedi, ut decet, vinculis duobus adligantur, ægerque in illo situ à ministris chirurgi firmatur. Chirurgus ipse primo catheterem sulcatum, multum incurvum, ac rostro longiori donatum, in urethram & vesicam compellit, post in genu dextrum procumbens, sinistra manu tenet catheterem, ac curvaturam ejus versus tuberositatem ischii, sinistri lateris, oblique dirigit, ubi tum magis aut minus distincte, pro differenti habitu ægri, externe digito sentitur: dextra autem scalpellum plicatile notissimum, ac linteolo, ut mos est, involutum prehendit, eoque super catheterem incidit, facta prius plaga in cute, quæ quasi lunata ad latus tuberositatis ischii, declinationem hujus insequendo, versus alium descendere, & cornibus ad coxam spectantibus modo dictam tuberositatem quasi comprehendere debet; plaga sic partim ad latus musculi erectoris, incipiendo latum policem supra anum, infligitur, atque à raphe perinæi satis distat. Vulnere hoc autem facto, chirurgus immisso digito intestini recti atque catheteris situm statim explorat, superque hoc vulnus conficit, dum profundius fecat. Si vero digitus, saepius interea immittendus, catheteris gibbosæ sulcum tandem percipit, sinistra manus quæ catheterem tenet, hunc magis versus plagam movet, ac vesicam extorsum quasi cogit, chirurgus vero eodem tempore scalpellum majori adhibita diligentia ita demittit, ut cuspis in catheteris sulcum compellatur. Via sic in vesica obtenta, vulnus ampliat, dum scalpellum ductu sulci, secundum longitudinem rostri excurrentis, deorsum magis movet, eo animo, ut vesicam lateraliter in corpore suo fecet, & plaga quidem post cervicem apertamque prostatam incipiat, in facie vero ejus magis postica oblique finiatur. Quod reliquum est, juxta scalpellum conductores, & hos inter forcipes compelluntur. Cetera.

## XXVII.

*Methodus Chefeldeniana.* Enarrabo hanc, quemadmodum eam quinque hominibus in nosocomio San-Thomano Londinensi à Du. Ghirle applicatam fuisse vidi, præsente quidem Chefeldeno, ac facilem aditum, pro sua, quæ in exteriores fertur, humanitate, mihi parante [i]. Æger imponitur mensie humiliori, & dorso ejus non nisi pulvinar subditur. Tubera coxarum ejus, quæ ex hoc situ magis libera prominent, ad oram extimam tabulae colligantur, manus ad pedem extremum vinculis duobus alligantur, ægerque sic repositus de reliquo immotus tenetur. Chirurgus mox catheterem bene

[i] Descripsit methodum suam ipse Chefelden in Appendix to the fourth edition of the Anatomy Lond. 1731. & Jo. Douglas in Appendix to the history of the lateral operation Lond. 1731. qui p. 10. recentiore Chefeldeni methodum, seu hanc, quam describam, subiicit. Videantur ceterum Le Dran, Morand, Garengeot & alii, qui de hac methodo egerunt.



incurvum & profundius fulcatum vesicae immittit, huncque chirurgo ali-  
cui peritiori, à latere sinistro ægri stanti, & ad id officium rogato, tradit.  
Hujus officium jam est sinistra manu scrotum levare, dextra vero cathete-  
rem traditum oblique extorsum movere, infimul autem ita dirigere, ut  
hujus sulcus itidem oblique ad coxam spectet. Tum ipse chirurgus scalpel-  
lum haud plicatile & cultello anatomico unius aciei persimile dextra tenens,  
primam plagam pone raphen, in latere sinistro ægri, incipiendo sub scro-  
to, pollicem círciter latum supra anum, super catheterem, obliquo aliquan-  
tum tractu facit, dum ad locum inter anum & tuber ischii medium usque,  
quoniam ultra, si opus haberet, inter musculum acceleratorem & erectorem  
descendit. Hoc vulnere autem facto, statim indicem digitum sinistram ma-  
nius demittit, quo intestini recti situm, aliquando varium, & catheteris  
sulcum exploret. Quem ubi distinetius percipit, digitum eundem ita ejus  
sulco ad�icat, ut super unguem scalpelli mucronem in istum sulcum certo  
& tuto demittere possit. Demittitur autem scalpellum in vulneris angulum  
inferiore, quo post prostatam vesicam primum intret. Hinc etenim in-  
cipiendo plagam vesicæ tum versus bulbum urethræ ampliat, dissectis hoc  
opere sinistra portione glandulae prostatæ, collo vesicæ, & parte urethræ  
membranacea. Bulbum autem urethræ sectio haec, ubi bene peragitur,  
neutiquam tangat. Via sic in vesicam perfecta, chirurgus conductorem la-  
tiorem, & manubrio simplici, oblique retrorsum flexo, instructum, du-  
ce rursus indice digito sinistræ manus, in catheteris sulcum & vesicam com-  
pellit. Hoc super tandem, educto prius catheterem, forcipes dentatas im-  
mittit, quarum ansæ loco annulorum in uncos desinunt. Has clausas in  
vesica movet, donec ad calculum allidant, quem tum vero arreptum ex-  
trahit. His & reliquis peractis, quæ fieri debent, vulnus statim pulvillo  
solutione vitrioli madente tegitur, & æger in lectulum deportatur. Cetera.  
Etenim jam ad alia.

## *Disquisitio specialior commodorum novæ methodi.*

X X V I I I .

**N**on dubito fore multos, qui mirabuntur sane, quod in methodi hujus commoda inquiram, cum de differentia vera, quæ hanc & *Ravianam*, aliamve aliquam intercedit, adhucdum animo fluctuem (24). Quodsi autem methodus *Foumbertiana* cum illis plane coincidit, quid longa opus est commodatum ejus investigatione? quis enim nescit *Ravianæ* & *Cheseldenianæ* methodi commoda, à bene multis exposita, nunc saltem novæ huic methodo, si lubet, itidem tribuenda. Verum mirari desinant, cum habeam utique quædam, quæ tanquam methodo huic unice fere pro-

G g 2 pria,



pria, impræsentiarum adponam. Sive enim locis partibusque secundis convenient, sive non, administrationis certe modo terra marique distant. Suus cuique modus est proprius. Ecquis horum præstet anquirere, numne placet, aut expedit? Itaque jam ad exponenda commoda, quæ ex nova administrationis ratione imprimis oriuntur, devenio.

## X X I X.

Cum aliquando hon. *Foubertum* de commodis novæ suæ methodi interrogarem, respondit ille, prosperrimum rei toties gestæ eventum methodum hanc satis commendare, quin super alias efferre. Felicium autem ejusmodi eventuum rationem in simplici, maximeque innocuo modo facta divisione partium, ex symptomatis minus insuper metuendarum (6), latere. Non possum itaque non, quin commodum hoc in principio statim capit is hujus expouam, cum, ut primum, sic & ultimum, fuerit, quod autor mihi indicavit. Evidem dubitare plane debuisse, hoc commodum inter ea recentere, quæ methodo *Foubertiana* propria sunt (28), cum de iis, quæ prosperorum istiusmodi successuum rationem ex mente autoris in se continent, ceu huic methodo propriis, partim ambigere occuperim (24). Verum quo minus dubitationi prorsus cesserim, obstat cogitasse, quod ad perficiendam securius operationem chirurgicam aliquam suum quoque symbolum administrationis modus conferat. In novo hoc autem lithotomiam exercendi modo deprehendisse me nonnulla credidi, unde perardui istius operis successus forte aliquanto felicior sperari atque promitti posset. Cur itaque in tot exemplis jam comprobatum eventum (7) inter methodi commoda cum ipso ejus auctore nominare nollem, cum profecto de eventu citius, quam ulla alia re querere soleant mortales, cuncta utilitate metientes. Quænam vero sint ista in recentiori hac methodo, quæ melius sperari jubent, patebit ex reliquorum commodorum intellectu, quæ prouti meditatio menti suggestit, nunc verbis aperire pergo.

## X X X.

Atque videtur quidem ratio administrandi lithotomiam methodo *Foubertiana* perquam commoda, facilis, promptaque esse. Nolo interim tria hæc, de methodo prædicata, synonymica prorsus haberi, tametsi ea uno ore præferam: hæc etenim uniuscujuscunque interpretatio est. Cum constet, acum triquetram, vesicæ intrusam, vices specilli gerere, cuius itinerary oculis chirurgi expositum (12); præterea constet, totam machinulam in manu atque potestate chirurgi esse (13), qui eam sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, levi opera vertat, quo necesse duxerit; & denique palam sit, acum ne tantum quidem loco cedere posse, quando scalpellum adPLICatur: dum e contrario in methodis, quæ supra cathetere fecant, itinerary illud, quod



quod scalpelli aciem conducere debet, chirurgi oculis haud amplius patet, postquam catheter in vesicam demissus est; præterea catheter ipse & que libere ac facile dirigi nequit, utope sua saltē extremitate inter apices digitorum detentus; denique vix tam firmiter contineri, quin ab impellente in illum scalpello tantisper repellatur; verbo: quia cuncta hæc majorem minimum chirurgi industriam, circumspectionem, operamque postulant: patet omnino, *Foubertianam* rationem administrandi lithotomiam commodiorem præ aliis esse, respectu quidem ad operatorem habito. Favet enim huic præterea scalpellorum inflexio ad angulum quempiam, arcuato tamen scalpello, ob longius manubrium & majorem laminæ inclinationem (16), præ altero, quod rectum magis est, commodiore existente. De cetero autem utrumque, quoniam haud plicatile est, (inutile autem sane cuilibet scalpello lithotomico plicari posse) secure ac certius movetur. Verum methodum *Foubertianam* non minus respectu ægri commodam dici posse, infra significabo.

## XXXI.

Dum autem jam eandem methodum perfacilem quoque administratu esse (30), pluribus ostendere pergo, statim præmoneo, me hac consideratione maxime rationem partium, sectione lateralī exsuperandarum, habiturum esse. Unde fluit, quod, quando in hunc finem comparatio methodi nostræ cum aliis facienda est, ea cum illis fieri debeat, quæ & eidem regioni corporis humani adplicantur, & sectione easdem circiter partes involvunt. Sunt *Chefledeniana* atque *Raviana* (24. 25. 27.) Atqui quis est, qui nesciat partium, sectione quacunque laterali incidendarum, amplitudinem, longius hinc iter in vesicam emetiendum, iteratosque scalpelli ictus ad superandam pinguedinis & muscularum molem necessarios; cuncta hæc magis insuper laboriosa in *Raviana* methodo (26) esse. Sectionem vero lateralem potius, quam aliam salus ægrorum requirit; quare pro facilitiori quidem administratione sectionis ejusmodi nova ista administrationis methodus, quam *Foubertus* adinvenit, ceteris paribus conveniret. Hæc etenim, intrusa acu, demissaque super hanc scalpello, partes has quantas quantas uno ictu, & facili negotio (5) dividit.

## XXXII.

Promptam autem quoque esse rationem *Foubertianam* administraandi lithotomiam, supra dixi (30), nec tamen nimia forte dixi. Quemadmodum enim facilis ac commoda administratio methodi alicujus, qualem nostram quidem esse hactenus ostendimus (30. 31), non potest non tempus lucrari, sive efficiere, ut res citius, id quod est promptius, conficiatur: ita hæc de præsenti methodo magis, quam qua alia, valent; quandoquidem nec catheteris immissio chirurgum aut ægrum moratur, cum in hac metho-

G g 3 do



do plane omittatur (3); nec acum intrudere diuturnus adeo labor est, sed momentaneus (14): vulnus autem uno ictu infligitur, aut si id ampliandum est, tribus ad summum ictibus, uno alterum citissime excipiente, absolvitur (5): nulla denique dilatatione plagæ opus est, cui immo retur chirurgus, aut unde æger diutius, quam par est, detineatur. Hæc autem cum talia item sint, ut ægrum paucissimis ac fieri potest, doloribus explicant, insimul evincunt, methodum hanc non minus respectu habito ad ægrum, commodam dici debere, ut supra quidem (30) innueram.

## X X X I I .

Inter commoda lithotomiae *Fouberiana* præterea referendum est, quod absque cathetere peragatur. Hæc ipsa siquidem catheteris absentia methodum hanc ægris multum commendat. Novimus enim catheteris immisionem tantum saepè negotii chirurgis veteranis, nedum incipientibus, facessere, ut illis certe catheterismus aliquando operosior, quam ipsa operatio evadat. Sed non potest non fieri, quin ægris insimul major inde molestia creetur, quorum profecto aliqui magis catheterem, dolenter semel expertum, quam sectionem ipsam formidant. Horum etenim vesicæ eo minus contrectationem preferunt, quo magis ex calculo, diutius gestato, aut magnitudine, pondere, ceterisque conditionibus formidabili, dolent: quid, quod his meis oculis chirurgum exercitatissimum quemdam, post diuturnorem laborem demittendi catheterem in adolescenti calculo, sanguineni cire viderim. Accedit denique, quod ad sectionem lateralem catheteres sulcati, multum incurvi, quin maxime tales in methodo *Raviana* (26) requirantur, quos sic demittere difficilius; sufferre dolentius est. Itaque cum lithotomia *Fouberiana*, ut catheterem (3) sic & hoc incommodum, chirurgo & ægro sane molestissimum, ignoret, methodus hæc vel ex hoc capite commendabilis unque esse videtur. Tantum interim abest, ut methodus *Fouberiana* omnem omnino catheteris usum rejiciat, ut potius hujus ope in calculi præsentiam, magnitudinem, firmitatem, ceteraque qualitates inquirere jubeat. Utitur vero *Foubertus* fistula aliqua argentea; que ad instar litteræ s leviter flexa, ac in extremitate sua annulo, ex ultima cannulae ora reflexa quasi formato, clausa est. Hic lœsioni cavet, dum ceterum fistula hæc facilime licet in vesicam compellitur.

## X X X I V .

Aliud methodi *Fouberiana* commodum, idque ex absentia catheteris in operatione (4) itidem oriundum, est, quod vesicæ hac ratione insigniter parcatur. Quando enim reliqua methodi laterales catheterem in vesicam demittere; eum intus admovere; atque quo extrinsece gibber ejus sentiantur, sat fortiter adprimere jubent, non possunt non dolor, contusio, inflam-



matio, suppuration, atonia, & ejusmodi plura, longius abesse; ex quibus hinc nostra methodus aut plane non, aut minus saltem metuit. Atque constat quidem, cuncta, quæ dixi vesicæ ex catheteris adpressione accidere symptomata, augeri debere, quando catheter sulcatus adhibetur. Dum enim talis adprimitur, margo uterque sulci acutius necessario pungit, in primis eo temporis articulo, quo plaga infligitur & scalpellum incumbit, nedum quando sub administratione *Raviana* methodi, catheter validius extrorsum movetur (26), quo pars vesicæ magis recondita incidi queat. Fere enim in eo sum, ut credam, vix magis damni alere ipsam vesicæ plagam, in se spectatam, quam istum catheteris contactum, adpressionemque fortiorē. Cum enim vesicæ calculosæ dolentes tensæque esse intelligentur, nefcio, an magnopere erravero, si his levamen plane aliquod ex divisione scalpelli acie facta, adferri dixerim. Verum ex altera parte notum est omnibus, haud aliam partem magis ingrate & minus innocue tangi, quam partem dolentem tensamque. Cumque talis pars quidem à quovis contactu ita adficiatur, tametsi levius molliusque corpus fuerit, quod ei admovetur, quid quæso damni non reportabat ex attritu vehementiori durioris alicujus corporis. Hæc autem de vesicis calculorum cogitare occœpi, cum lithotomie aliquando adstans, ægrum haud de alia re magis, quam auferendo catetheri, precibus suis chirurgum sollicitare inaudirem, licet ille dudum sublatus esset. Erant autem reliqua ferramenta, quæ in vesicæ, perquam angustæ ex lithiasi factæ, parietes impingentia, hunc sensum ægro molestissimum excitabant.

## XXXV.

Illud vero quod modo explicui commodum (34), aliam porro utilitatem ex se gignit. Inde nimirus fit, ut sub cura ægri lotium vulnus vesicæ cito relinquat, atque pristinum urinæ iter, urethram, opportune repeatat. Ut hæc enim ita eveniant, conductit utique, quod vesica secundum methodum *Foubertianam* nulla adpressione catheteris irritetur, contundatur, inflammetur, unde fibræ tonum perdere, oræ vulneris suppurrare, necrosi dari, vulnus collisum fieri, plaga hiare, sive urina factius elabi possit. In contrarium quippe patet, quod vesica, quando absque ullo obtritu catheteris, simplici saltem vulnere finditur, robur tonicum suum, seu fibrarum elasticitatem, magis integrum conservet, unde oræ vulneris ad se proprius accedunt, plaga arctatur, via clauditur, collectaque urinæ moles, qua data porta facilitiori, propellatur, ac ejiciatur. Si vero insuper accedit, (saltem hactenus mihi dubium videtur), quod hac methodo recentiori vesicæ collum haud fecetur, plaga in corpore vesicæ tantum, ac loco præterea elatiōri, seu anteriori, fiat, quam quidem ea fit methodo *Raviana* (26); tum non solum commodūm hoc, sed & plura alia, ut sunt abscessuum, fistularumque absentia, vulneris citior coalitio, & reliqua, distinctius



stinctius intelligentur. Verbo : tum omnia & singula lateralis sectionis, potissimum vero *Raviana*, emolumenta nostrae methodo in gradu longe eminentiori tribuenda esse concedo, quin postulo. Facilitas ita vero redendi lotum bene cito per urethram, post peractum lithotomiam *Foubertianam*, non minus à me hic exposita, quam ab aliis observata est. Etenim pro certo compperi, urinam aliquando duabus post sectionem celebratam horis elapsis, consueta omnino via effluxisse, quod alias profecto totidem ad minimum dierum spatio demum contingere solet.

## X X X V I.

Præstat denique methodus *Foubertiana* eo in casu, ubi catheterem in calculosorum vesicas demittere impossibile fuerit. Cum enim methodus hæc absque catheteris subsidio peragatur (3), propositio hæc sine ulla longiori evictione capitur. Præstare autem methodum hanc, non item unice valere dixi, quoniam præter eam alias dari methodos, quæ itidem absque cathetere perficiuntur, probe neveram. Sunt quidem methodus *Celsi* atque *Franconiana*. Quo minus vero ultimam nostræ præferrem, sequentia impedivere cogitationum argumenta : vesicæ calculosorum hominum multum arctatae sunt : in methodo *Franconiana* requiritur ut vesica ossa pubis superemineat, quo ob plicam peritonæi *Douglasianam* [k] tuto incidatur : elatio ista vesicæ aliquando obtentu impossibilis [l], aut diuturniori mora atque medela demum possibilis est : at evenire potest, præsentissimam ægro succurrendi rationem aliquam requiri : de reliquo, ex diffinta nimis vesica sequitur ejus atonia, quin separatio à peritonæo : sanatio tædii plena elt, atque fistula vix evitatur, ni catheter urethrae immittitur : maxime incertus ejus eventus observatur, quando annosioribus adhibetur : cetera plura incommoda ; tanta quidem actu comprobata, ut ipsum methodi hujus instauratorem, celeb. Jo. *Douglasium*, ad aliam adoptandam compulisse videantur, tametsi ratio eam præ aliis commendet. Nullum autem dictorum *Foubertianam* methodum administrari vetat. De *Celsi* methodo sufficit dixisse, hanc non nisi in junioribus, & iis valere, quibus calculus in collo vesicæ atque urethræ principio hæret ; hinc in casu denegati catheterismi universalem non esse, quandoquidem plures longe causas catheterem arcere, infra significabo. Præterea hæc methodus, vesicam super calculum incidens, eam immittius haud raro adficit. Sed hæc & alia incommoda excellentissimus *Heijerus* elegantius, ac ego quidem facerem, sic enarrat [m]:

“ Nam

[k] Descripsit primus James *Douglas* in Description of the peritonæum Lond. 1730, quem libellum postea latine reddidit D. D. *Heijerus*, Laur. Filius, Patris æmulus, noster amicus.

[l] *Dénys* obs. de calculo p. 105. ed. lat. Lugd. Bat. 1731.

[m] pag. 42. Dissert. de anatomic majori in chirurgia quam medicina necessitate. Helvæt. 1737.



„ Nam non conceptacula modo liquoris in testiculis excerpti seminalis, item  
 „ que intestinum rectum facile lœdi possunt; sed eo potissimum nomine in-  
 „ famata est, quod propter calculi figuram irregularem, angulosam vel  
 „ spinosam, qui hac in methodo catheteris sulco instructi munus gerit,  
 „ vesica perfecte pro calculo extrahendo aperiri nequeat, atque intestinum  
 „ denique rectum una cum vesica mirum in modum a spinis & eminentiis  
 „ ejusmodi calculatorum obteruntur: quo fit, ut diri dolores & spasmi sus-  
 „ citati mortem maturent. Nec minus difficultatis exhibet minor & lœvior  
 „ calculus saepissime digitos non satis cautos; & firmos effugiens; mollibus  
 „ denique & arenosis existentibus calculis, adeo, ut facile dilabantur, im-  
 „ possibile quandoque est, viam patefieri posse, per quam proman-  
 „ tur. „

## XXXVII.

Verum objiciunt, secundos plane non esse eos, quibus catheterem im-  
 mittere, sive de calculi existentia, magnitudine, superficie, reliquis,  
 certior fieri haud licuit: solum enim catheterem cuncta hæc certius demum  
 indicare posse. Ad ea vero ego hæc. Aut unquam catheterem demittere li-  
 cuit, aut nunquam. Si prius, de calculi præsentia, conditione, ceterisque  
 constare antea jam potuit. Sin posterius, res magis quidem dubia videtur,  
 tantum vero abest, ut inexplorata plane haberi, aut causa perdita credi de-  
 beat. Quid enim, quodsi serio dixit *Le Dran*, quæ illum aliquando dixisse  
 memini, catheteris immisionem non tam chirurgo inservire, qui hac ratio-  
 ne de calculo certior reddatur, quam ægro, qui de chirurgie fuscipienda  
 necessitate convincatur. Solet autem calculus præter catheteris allisionem se-  
 quentibus signis manifestari. In urina calida calculosi arenulæ statim subsiden-  
 tes, duræ, queaque nec dissolvi, nec digitis communui facile possunt, con-  
 spiciuntur; urina fabulosa antea & turbida, jam tenuis ac aquosa mingi-  
 tur; æ gri cum lotio mucum excernunt; pondus gravativum in perinæo,  
 & quando aliquid humo tollere conantur, dum se inclinant, punctionem in  
 vesica sentiunt; ani procidentia, tenesmo, colis involuntaria erectione,  
 pudendorum pruritus vexantur; unde hæc contrectate & scalpere solent;  
 doloribus ad glandem usque colis pertingentibus, & frenulum vellicantibus  
 torquentur; nunquam fere urinam sine molestia mittunt; aut enim urina  
 tincta est sanguine; aut cum dolore redditur, qui post rejectam urinam in-  
 gravevit; aut dum projicitur, subito intercipitur; aut guttatum defluit; aut  
 saltem sub vario & alias insueto corporis positu mittitur, stimulo interim u-  
 rinandi continuo, frustraneo licet, præsenti. Tandem, si major fuerit cal-  
 culus, immiso digito in anum, aut vaginali uteri in feminis, sentitur.  
 Horum signorum quidem quo plura una adfuerint, eo majorem probabili-  
 tam in medico, aut chirurgo, rem interim curatori judicij lance pon-  
 derante, efficient. Minus circumspectum enim, quin & prudentiorem ali-

Tom. IV.

H h

quando



quando, ipse catheter adipicatus fallere potest [n], si calculus nimirum aliquis minor, mollis, spongiosus, contextusve fuerit. Atque haud ita pridem quidem vesica callosa maximi nominis chirurgo cuidam in Gallia impo-  
suit; ita, ut sectionem in adolescente quodam frustra suscipieret. Quod re-  
liquum est, magnitudinem calculi, praeter catheterem, valetudinis adver-  
sæ duratio probabiliter indicat, itemque digitus in alvum demissus. Hic  
præterea figuram superficiemque aliquatenus explorare poterit. Duritatem  
mollitiemve calculi urinae hypothesis patefacit. Candidior enim arena mollio-  
rem; rubicundior duriorem lapillum notare solet [o]. Vesicæ denique con-  
ditionem ex excretis, pure, muco, sanguine, quantitate lotii una vice  
emissi, & aliis signis, colligimus. Cetera. Nolo enim prolixior esse, præ-  
fertim cum restent quadam dicenda de iis, quæ catheterem in vesicam de-  
mittere prohibent.

## D I G R E S S I O I I.

*De impedimentis Catheterismi.*

## X X X V I I I.

**I**Mpedimentorum ejusmodi alia deprehenduntur transitoria, alia diuturna magis, quin perpetua. Utriusque generis talia aut vesicæ collo, quod ita nuncupant, aut urethræ inhærent, ad quam imprimætiarum autem glandem penis, quatenus heic loci urethra definit, referre liceat. De singulis jam nonnulla adferam, quæ proprius huc spectare videntur, & ita comparata sunt, ut catheteris usum non tam difficilem, quam nullum reddant.

## X X X I X.

Collum vesicæ, seu porta, qua cavum hujus catheter subintrare debet, clauditur calculo, inflammatione, spasmno, acretis peregrinis corporibus, prostatæ turgescente & aliis modis. Calculus major, quando e vesica in isthmum hunc illabitur, atque hæret, catheterem ordinario quidem repellit; verum nec hoc semper possibile, nec satis tutum est. Prout enim calculus varie conformatus ac spinis eminentiisve armatus est, ita varie quoque inhæret, ut aliquando incuneatus plane videatur. Galli hinc talementum *pierre enclavée* nominare solent. Sunt visi ejusmodi calculi, qui in sui medio partem angustiorem, à collo vesicæ effictam, ostenderunt, quoniam diutius

[n] Vid. exemplum in *Barbette* p. 153. in notis, edit. Genev. Operum ejus, studiio Mangeti.

[o] De signis qualitatum calculi leg. *Denys* obs. de calculo p. 51. ed. lat.



diutius hæserant, atque infra se minorem aliquam vesicam formaverant, in quam urina e superiori per fossulam in latere calculi reperiundam, aut per exiguum aliquid foramen in calculo remansum, distillabat [o]. Quæcunque vero sint viæ istæ, & à quacunque fortuna relictæ, tantum tamen abest, ut has catheter subire valeat. Quare si casu ejusmodi oblatu lithotomia institui deberet, solæ utique valebunt methodi, quæ cathetere opus non habent (26). Atque sua quidem methodo se calculum incuneatum tamem, & catheteri obstantem, aliquando exēmisſe, *Foubertus* ipſe mihi retulit, eundemque oculis usurpandum dedit.

## X L.

Calculus adeo impactus, ut repelli nequeat [q], & urinæ effluxum plane præpediat, vesicam ad spasmum & inflammationem necessario concitat. Non potest enim non major lotii quantitas desuper continuo accedens eandem maxime distendere; distentionem vero fibrarum strictura, cumpri- mis earum, quæ collum vesicæ ambiant, & magis carneæ sunt, insequitur. In tali exemplo quidem calculus inflammationem eo magis auget, quo firmius inhæret; inflammatio vero quo magis augetur, eo firmius calculum infigit, ut mali fomes itaque sit mutuus & plane perpetuus. Nullus hic interim violentiæ locus datur, quæ calculum retrocedere cogat, unde hæmorrhagia, phlogosis, gangræna, sphacelus, mors, citius saltem invitarentur. Si calculo vesicæ alias inflammatio supervenit, extractionem ejus differimus, donec illa sopita fuerit. Sed hic calculus ipſe inflammationis causa est. Qui tolli jam poterit effectus, haud sublata cauſa? Qui hæc aliter, quam sectione calculi? Qui autem hæc denique in casu denegati catheterismi commodius, quam methodo *Foubertiana* (36) fieri?

## X L I.

Innascuntur nonnunquam vesicæ fungosæ carnes, quæ collo ejus propiores [r], auctæ, induratae, ut urinæ exitum, sic catheteris introitum præpendunt. Excrecentiæ hæc aliquando ita positæ sunt, ut lotio quidem elabendī rima anfractuosa adhuc supersit; catheteri autem via nullo modo patet. Jam autem nihil obstat, quo minus taliter affectus homo, calculo una laborare possit, cum potius certum sit, priorem istum morbum ad cal-

H h 2 culi

[p] Intueri tales dedit *Morandus*: Verum descripserunt similes alii quoque autores. Vide *Coiot* supra cit. p. 226. ubi de receptaculo calculi ex dilatato vesicæ collo libi parato, quedam adfert. Præterea calculum cum crena delineat *Denys* in Tab. 3, libri s. cit. Vid. item E. N. C. Cent. 2. Ann. 1. obs. 9.

[q] Adfert exemplum hon. *Proebusch* p. 4. & 13. chir. obs. von der operatione alta.

[r] Recenset tales *Riolanus* anthropograph. Lib. 2. c. 28.



culi productionem insigniter facere, dum nempe urinam remorando illam concretioni lapidosæ aptiorem reddit. Ecquis enim deus tibi in aurem dixit, quod omnis vesicæ calculus suam debeat originem renibus, unde nucleus ejus descendat? Prostata denique fungis similia comprimendo efficit, si tumefacta, scirrhosa, aut calculis adfecta [s] fuerit. Reliqua autem præpedimenta, utpote à cathetere magis superabilia, nunc sileo.

## X L I I .

Dum catheter urethram subit, aliquando ibidem statim deprehenduntur, quæ ejus tractui sese opponunt. Sunt lapilli hærentes; sunt vasa varicosa urethræ & tumefactum hujus cellulosum textum [t]; sunt tandem firmosæ carunculae. Veteres quodcumque corpus, specillo in urethram demissio obnitens, carunculam statim dicebant, carneum aliquod tuberculum ibidem eratum esse rati [u]. Recentiores autem, anatomiae magis dediti, ostenderunt, obstaculum istud vel a cicatrice & callo, ulceribus, ex gonorrhœa maligna ortis, superinducto [x]; vel specialiter ab adfecta caruncula seminali, caput gallinaginis dicta, proficiisci [y], rarius glandulas urethræ intumefactas, aut harum ductus incongrua medela obturatos ac expansos in culpa esse [z]; rarissime vero aut nunquam carunculam vere talen adesse. Sed quæcumque jam fuerint illa obstacula, de iis superandis potissimum agitur. Calculos hærentes chirurgi inflatione urethræ, sectione, instrumentis (*tire fo id & curette*), injectione, sectione emoliri student: Vasa varicosa venæ sectione deplent, immissoque cereis complanant [a]: carunculis dictis emolliendo medentur; septicis abstinent;

[s] Vidi ipse apud *Morandum prostatam*, pulli ovum magnitudine æquantem. Sic etiam clarissimus *Morgagni* prostatæ æquo majoris, & lethalem urine suppressiōnem causantis meminit. Adv. an. 3. p. 83. Scirrhosam insuper vidit excell. *Heijerus* p. 38. Diff. de anatomis utilitate in chirurgia. De prostatis autem calculi adfectis dissertationem conscripsit *D. D. Poblius*, Lips. 1717. ibique casum capitis gallinaginis, sex lapillis obsecsti, recensuit.

[t] *Garengot des operations* Tom. 2. p. 23. 31.

[u] Sic sentiunt *Alphonſu Ferriu* de caruncula sive callo quæ cervici vesicæ inascantur: Extat. p. 305. in coll. *Gesueriana Tigur.* 1555. *Andreas Lucata* in methodo cognoscendi curandique carunculas, Olisipone 1560. 8. *Durantes Scacbus* in subsidio medic. Urbini 1596. 8. p. 172.

[x] *Colot.* p. 233. *Dionis & alii.*

[y] In ulcere potissimum carunculae seminalis seu grani hordeaci ponit *Ant. Benevoli* p. 16. C. 3. della caruncola dell'uretra, in Firenze 1724. 8vo. Cum eo quoque facit *Girolamo Marini* nella Pratica delle principale & più difficili operazioni di chirurgia, in Roma 1723. 8. ubi p. 66. carunculas plane negat.

[z] Exemplum vesiculæ oblongæ, ex canali occluso factæ, in iconæ videre est apud *Laur. Terraneum* de glandulis ad urethram virilem novis, Lugd. B. 1721. 8.

[a] *Garengot* cit. l. p. 24. Huc facit fistula flexilis, quam invenit ac descripsit *Franc. Roncalli* in nova methodo extirpandi carunculas, Brixie 1720. 8.



nent; nunquam enim fere talia profuisse deprehensum est. An satis tuta erit incisio, harum caruncularum amovendarum causâ facta? ut suadet *Colot* [b]. Sectionem perinæi, qua huic plaga oblonga, fistulæ, aliisve vesicæ & partium huc spectantium malis medendi ergo infligitur, Galli hodie *Operation de la boutonnierre* vocant, postquam celeb. *Marechal*, primarius olim Regis Galliarum chirurgus, sectionem talem isto vocabulo primus aliquando adpellaverat, cum eandem *Illustr. Comiti Tolosano* in cura fistulæ perinæi adhiberet. Sed nimis dilabor. Sufficit enim catheterismi obstacula indicuisse, & si quando talia calculosis eveniunt, qui lithotomizæ subjiciendi sunt, *Foubertianæ* methodi utilitatem eo ipso ostendisse.

## X L I I L

Restant denique commemoranda impedimenta, quæ circa urethræ finem catheteris usum difficilem aut nullum reddunt. Calculum inter præputium & glandem in iis, qui phimosis laborant, generatum, & mole sua urethram comprimentem, hic allegare magis, quam prægnans adeo obstaculum dicere volo, quandoquidem hoc tollitur, simulac chirurgus circumcisionem fecerit. Majoris autem momenti est, quando glans in hypospadiæ insueto loco perforata, aut coles prorsus sine urethra est [c], aut hæc denique non per inferiorem, sed per superiore penis partem repere deprehenditur [d]. Sic huc pertinet, quod ipse aliquando vidi exemplum glandis, quæ loco simplicis emissarii, tribus exiguis foraminibus pertusa erat, & lotium filo tripartito emittebat [e]. Et alia.

*Disquisitio specialior incommodorum methodi Foubertianæ.*

## X L I V.

**Q**uemadmodum nihil in rerum universitate est, quod suis non teneatur conditionibus, & sub his modo conveniat, modo disconveniat, ita sane de methodo nova administrandi lithotomiam similiter pronuncandum est. Fert enim jam animus, quædam hujus incomoda commodis ejus hactenus satis expositis (28....38.) subiectere, ut contraria juxta se posita magis elucent. Brevissimis id quidem faciam, sed nihilominus quædam ubivis adjecturus, quæ incommodo tollendo forte inservire possent.

H h 3

fent.

[b] In libro de l'operation de la taille p. 235.

[c] *Tulpius* supra cit. cap. 36.[d] *Ruysschius* Th. An. III. Nov. 5. not. 1. subiectum idem ibidem: imo, ad calculi extractionem ejusmodi objectum foret ineptum. Intelligere autem est, *Ruysschium* hic saltem methodos, quæ catheteræ opus habent, respexisse.[e] Meminit glandis duobus foraminibus praeditæ *Vesalius* anat L. 5. c. 14.

fent. Neque tamen id ita ago, ut omni omnino incommodo methodum hanc opere isto liberare in me suscipiam.

## XLV.

Primum aliquod incommodum methodus *Foumbertiana* patitur ex haemorragia laesarum forte arteriarum, cum primitis laesae arteriae pudendae ramo, qui angulum muscularum accelerat & erectorum trajicit, dum ad corpora cavernosa penis tendit, & arteria pudenda externa dicitur. Hanc enim sectione facile tangi, seu dissecari posse, ipse autor methodi haud diffitet (6). Damnum autem tale expertissimus *Le Dran* valde momentosum habet, atque inter potiora quidem methodi *Chefledeniana* incommoda refert [f]. Neque levipendendum profecto esse, experientia docet. Visi enim sunt ægri post celebratam lithotomiam facie pallere, animi deliquum pati, ac improvisis fatis cedere, quod vesica eorum sanguine, quem arteria laesa aliqua intus effuderat, repleta erat, nec plaga citius deopulta, scaturigo investigata, obturata, sanguisque grumofus ex vesica exemptus fuerat. Itaque cum id methodo *Foumbertiana* accidere item possit, cuncta circumspectius primo quidem gerenda sunt, dum sectio homini adhibetur. Sicubi vero nihilominus contingere, arteriam fecari, tum ea diligenter utique observare expediet, quæ autor ipse in tali casu facienda praecipit (6). An sufficeret aliquando extremitatem arteriae unguibus prehendere, vellicare, pungere, ut inde crispatura valsi inducatur, atque haemorrhagia sic compescatur? Si ligaturæ locus datur, certissimum sane præsidium in acu & filo ponendum est. Sic *Chefledenius* arteriam pudendam internam sectam linteo carpto longiori obturare, externam autem, ut & arteriam haemorrhoidalem externam, ligare solet, adhibita acu in arcu admodum flexa & filum ceratum trahente.

## XLVI.

Præterea autem methodus *Foumbertiana* non minus dolorifica ægro esse dicitur, ac quidem est sectio alta, seu hypogastrica dicta. Quamvis enim autor in nova methodo repletione dolentissima vesicæ, siphonis ope facienda, abstineat, & distensionem ejus à collecti lotii mole tantum exspectet (2. 3.), tantum tamen abesse aint, ut inde dolores minores sint, cum hypogastrii pressio hic accedat (3): nec posse itaque non deliquum, inflammationem, febrem, & alia, longius abesse. Ni enim vesica bene repleti sinatur, administrationi methodi incertam futuram; si vero satis turget, ea, quæ modo recensita sunt, mala infecitura esse. Verum ut dicam, quæ mea super hac re opinatio est, credo hæc adeo perimescenda vix esse, si res omnis, ut decet, peragit. Cum nempe certum sit, quod dicta

[f] *Le Dran* Parallel p. 42.



dicta ista accidentia sui rationem in vesica calculosorum male affecta potissimum habeant; tolli, aut minui saltem, eadem necessario debent, quando vesicæ cura in antecessum geritur, eaque balneis, fomentis, ceterisque talibus aliquandiu fovetur. Sic enim autor ipse huic incommodo obviam ire voluisse videtur, dum ægris potum lenientem, emollientemque propinat (2), quo horum vesicas distentioni aptiores reddat. Neque frustraneum hunc plane laborem esse, aliquando *Fouberius* feliciter expertus est in sexagenario calculoso, postea chirurgiæ suæ quoque subiecto (7). Hic quippe cum *Foubertum* accederet, continuo fere mejebat, postquam vero copiosum potum ptisanæ ordinariæ, ex laudati autoris methodi mandato, aliquandiu hauserat, urinam per horæ quadrantem retinere, & singulis vicibus vitri minoris mensuram, quæ quintuplo major quantitas erat, reddere didicerat.

## XLVII.

Aliud vero methodi *Fouberiana* incommodum est, quod signa, quæ acum triquetram in vesicam penetrasse indicant, haud omni in casu sufficere videantur. Non autem hic tam de eo disquirro, siquando accideret, acum vesicam plane transilire, nec eam ullibi subire, ut infra dicetur; quam de sola sufficientia ac certitudine signorum, unde cognoscere possumus, an acus vesicam penetraverit, nec ne, nunc disputo. Ecquis enim rerum fuarum incertus perarduum lithotomizæ negotium administrandum susciperet, nisi cui forte *Deus* nullus, aut conscientia nulla est? Acum penetrasse vesicam manifestat equidem lotium juxta cannulam depluens (5), quin pleno rivo manaturum, si acum e cannula omnino extraheres: ast si contingeret, acum in fungum, vesicæ intus accretum (41), impellere, aut mucum tenaciorem, seu pus spissius vesicæ eam circumfluere, aqua profecto herebit. Anne jam acum ulterius impelles, sine metu laddendi oppositum vesicæ latus? Anne eam omnino retrahes, ut alio denuo loco defigas, absque formidine vesicam pluribus foraminibus fineste lacerandi? In tali quidem rerum statu specillum obtusius aliquod in cannulam, postquam acus plane extracta est, demissum, forte rei lucem adferre posset. Num acus triquetra *Denysii* [g] adhibita hoc incommodo prorsus vaaret?

## XLVIII.

Majus autem methodi *Fouberiana* incommodum est, quod ei accidere possit, ut acus triquetra vesicam plane præterlabatur, nec eam ullibi intret. Id vero cum accidit, irrita operatio evadat necesse est, cum calculus eximi non possit, haud incisa vesica; hæc autem ex methodo *Fouberiana* incidi nequeat, nisi acus vesicam prius subintraverit. Quod vero id incom-

[g] Descripta apud eundem est p. 142. & delin. T. XI.



incommodeum methodo huic facile evenire possit, inde intelligitur, quod vesica ad latera pelvis haud adeo firmiter adhaeret; flexilis præterea ac lubrica est; nec lotium, ceu molle corpus, valde obnittitur; ut nil dicam de eo, quando vesica haud satis distenta, aut acus vitiosa, aut hæc denique nimis oblique intrusa, fuerit. Ne autem imaginaria loqui videar, rei exemplum in promptu est. Cum duobus abhinc annis autor methodum suum duobus ægris eodem die applicaret, factum est, ut in alterutro horum ipse falleretur. Ex longiori nempe mora ad salutandum *Marechallum*, virum ætate & autoritate gravem, quippe huic sectioni cum aliis præfens erat, impensa, & laxius præterea injecto forte vinculo, æger urinam dimiserat; quod cum haud animadvertisset *Foubertus*, is lithotomiam ordiebat, atque intrusa acu triquetra, uti nunquam non solebat, eam vesicam subiisse credebat. Erat autem sanguis floridus, cui interim ille lotium admixtum esse opinabatur, qui imponebat. Nam inficta plaga error statim cognoscetatur, cum vesicam integrum, calculumque intus latenter digito sentire liceret. Tum vero *Foubertus* ad catheterem sulcatum ac bene incurvum configiens, eum vesicæ per urethram immittebat, atque super hoc eam plagæ externæ admotam incidebat, de reliquo ægrum personans. Gaudet autem ingenuus vir, quod hæc sibi prius, quam alii, sua utenti methodo, acciderint, atque in posterum ad repletionem vesicæ maxime necessariam, bene attendere jubet. Præstat enim omnino majorem certitudinis, quam dolorum (46) rationem habere. Acum vero non nisi bene fabrefactam aliquam feligi debere, vel me non monente patet.

## X L I X.

Accidere etiam potest, ut in methodo *Foubertiana* vesica facile pluribus una locis vulneretur ac sauciatur. Quemadmodum enim vesicæ sanæ insigne differunt, & pro diverso sexu, statu item, habitu corporis ac ætate, maiores, minores, acuminatae, compressæ, elatae, humilesque deprehenduntur, ita magis certe in calculosis hominibus discrepant, cum nunquam non fere affectæ, & duritie, scirrhis, fungis, excrescentiis, callostatibus, inflammatione, ulceribus, spasmis, plicis, sexcentisque aliis modis immutatae sint, ut vere hinc non minus ac eleganter *Le Dranis* aliquando dixerit, vesicas calculorum differre, ut vultus eorum. Hæc vero quodsi sic se habent, haud ita difficile conceptu amplius est, vesicam parvam, verbi causa, levi negotio utrinque confodi, aut minimum opposita parte acus mucrone hædi posse; aliam, quæ forte plicas habet, multiplicato vulnere sauciari: & sic de reliquis pluribus. Ex tali incommmodo autem profecto jure metuimus, siquidem ex vulnerata punctum vesica acutior dolor, inflammatio, abscessus, & similia oriuntur; quando vero plane transfoditur, urina in pelvis illabitur, unde putredinosa mox viscerum omnium abdominis infectio provenire potest, cum non nisi peritonæum has



has cavitates dissepiat. Quare pro avertendo ab hac methodo, in quantum quidem possibile est, momento eo ejusmodi incommodo, quin damno, haud alius, quam consilio manuque valens chirurgus acum defigat, habeatque non solum respectum ad ægrotantis habitum (13), sed ejus cumprimis etiam vesicam, cuius nempe capacitatem, si licet, cathetere exploret (33), aut si ejus usus non est, ex signis (36) colligat.

## L.

Observatum præterea fuit, quod methodus *Foubertiana* plagam vix semper eodem loco infligat, sed acus intrusa, & sectio super hac facta, modo hanc, modo illam vesicæ partem inconstanti plane ratione tangat. Verum qui certiore aliquam normam sequi nescit, nœ! ille ἀμεθόδως agit. Quod sane durum dictu. Ne itaque ego adeo injurius in autorem videar, narrabo statim, quapropter de hoc incommodo cogitare occuperim. Scilicet cum laudatissimus *Foubertus* methodi suæ historiam Academiæ Chirurgorum Parisiensi exposuisset, hæc e fodalibus feligebat, qui tentamentis in Domo Regia Invalidorum Militum in cadaveribus faciendis interessent. Intererat cum aliis quoque *Le Dranius*, cuius fide hæc quidem narro. Capta vero in tribus corporibus experimenta edocebat, acum triquetram in primo vesicam inter prostatam ac ureteris insertionem, debito loco (6), perforasse; in secundo eandem prope glandulam prostatam vesicam subiisse, ac sic quodammodo jam deviassæ; in tertio autem prostatam medium perfodisse, dum vesicam subintraverat. Præterea in duobus ex his vesica ureteres versus ex dilatatione fissæ erat, atque in altero quidem in uretere ipso desinebat. Ad illa equidem *Foubertus* regerit, quod semper magis experimenta in cadaveribus, ob partium emortuarum rigorem, unde illarum situs immutatur, differant, quam experientiæ ipsæ in vivis. Tametsi vero concedam, talia multum hoc facere, tantum tamen abest, ut inde omnis diversitas satis explicari ac capi possit. Firmiter enim persuasus sum, quod varia conditio vesicarum in hominibus hic omne fere punctum absolvat. Dum nempe cumprimis in calculosis vesicæ tam insigniter mutantur & differunt, ut partim dixi (49), & partim dicetur pluribus adhuc infra; non poterit aliter fieri, quin alia modo atque alia vesicæ regio, regioni externæ pelvis, interim dum illa fiunt, immutata permanenti, obvertatur, quæ forte huic regioni pelvis in alio homine haud obvertitur, quin neque in hoc obversa fuisset, si vesica à statu sano haud recessisset. Quæ autem cum ita sint, nec poterit jam aliter fieri, quin vesica quandoque haud præcisæ ea parte, quam in votis habemus, secetur. Siccine eodem ratione insimul liquet, quod prostata adfecta, ac verbi causa monstrose inflata (41), facilius acu tangi possit, quam fana? Nonne autem hujus situm atque conditionem immisso in intestinum rectum digito prius explorare conduceret? An hæc interim læsa periculosisima statim minatur sym-

Tom. IV.

I i

ptoma-



ptomata? Hæc inquam, quæ à *Cheseldenio* (27), hodieque *Le Dranio* [b] impune dissecatur, quin in sectione, quæ fit cum adparatu magno, contunditur, dilaceratur. An in spatio digitum geometricum latō (6), deviationi methodi *Foubertianæ* statim extimescenda? An in methodis reliquis cis ultrave partes, quas libri mathematiæ quidem dimetiuntur, nunquam secari autumas? Dic, quæso, quas partes inciderit autolithotomus ille Amstelodamenis [i]? aut ille *Regiomontanus* [k]?

## L I.

Ultimum aliquod methodi *Foubertianæ* incommodum est, quod, ubi vulneris dilatatio fit, ea hic loci periculosisima sit. Dilatatio autem fit vel de industria, quando vulnus digito aut ferramentis ampliatur, quam vero dilatationem methodus *Foubertiana* hodie ignorat (3); vel ex accidenti, ut ita loqui liceat, quando calculus major aliquis offertur, isque violentius paulo extorquetur. Periculosa vero hic loci dilatatio est, quod non solum spatum inter prostata & ureterem, quod quidem ex mente autoris incidi debet (6), satis angustum est; sed rerum conditio talis insuper est, ut si quando fissura seu dilaceratio vesicæ (*un dechirement*) ex dilatatione insequitur, ea ureterem magis versus, quam collum vesicæ necessario fieri debeat. Præterquam enim quod collum vesicæ robustius in se est, robur ejus præterea augetur ex prostatâ, quæ nempe, dum in hac methodo haud dissecari dicitur, vesicam hac parte magis resistere facit, quam qua ureterem respicit. Quilibet autem intelligit, vel mediocriter rerum harum peritus, quam tristem necessario ludat scenam ureter implicatus. Inde quippe non solum atrocior vesicæ inflammatio consurgit, verum cum ureter ad renes pertingat, hinc nephritis, vomitio, nervorum diligentio, & his similia ægrum brevi enecant. Itaque pro evitando omnino hoc

[b] Exerc. *Le Dran* nimirum eodem loco, quo methodus cum adparatu magno, secare incipit, bulbumque urethræ incidit; loco dilatationis vero illi methodo communis, nova sectione plagam ampliat, & prostata quidem collumque vesicæ sectione hac oblique extrofum spectante dividit. Utitur eum in finem duobus scalpellis, peculiaris formæ, duobus item conductoribus, ex quibus major alter à tergo crenam habet &c. De his enim & aliis, ut sunt, quod *Dn. Le Cat*, chirurgus Rothomagensis haud ignobilis & ex controversia, quæ ipsi cum Abbatे *Marietti* de causis fluxus & refluxus maris intercessit, sat notus, cum duobus scalpellis, quorum unum super alterum immittit, sectionem lateralem faciat; it. quod chirurgus quidam Argentoratensis catheterem intra catheterem abscondat, & suos in usus utrumque sic in vesicam demittat &c. alio forte loco & tempore pluribus.

[i] De fabro ferrario, felici autolithotomo, refert *Tulpius Obs. Med. L. IV. c. 31.* de eodem item *Eph. Nat. Cur. D. 1. a. 3. obs. 192.*

[k] De doliario quoddam, Regiomonti Pruss. similia feliciter patrante, historiam narrat *Corn. Lud. Walther* in thesauro Med. chir. obs. cur. p. 195. obs. 6o. ed. Lips. 1715.



hoc incommodo in methodo *Foubertiana* e re erit, ab omni prorsus plague dilatatione abstinere. Vulnus autem magnitudini calculi, in quantum pos- sibile est, respondeat. Quodsi tamen major data porta offerretur, hæc scalpello potius, modo supra dicto (5), quam qua alia ratione patefiat. Cur enim non liceret incidere, quæ impune dilatari, contundi, findi, dilacerari posse, eo ipso concedunt ii, qui dilatationi favent, quando eam præcipiunt. Minimum fissuræ aut dilacerationis ejusmodi terminus nunquam idem est, sed fortuito desinens, eventus rei autem incertus. Sed fatis in- commodorum est, ohe ! jam satis est.

## D I G R E S S I O I I I .

*De conditione vesicæ calculosorum.*

## L I I .

**E**RUNT forte, qui me acriter objurgabunt, quod vesicæ, reliquarumque hoc spectantium partium, descriptionem anatomicam nondum fecerim, tametsi fere in eo sim, ut dissertationi finem imponam. Verum ut facile patior, quod illi suos inde semper ordiantur libellos, sic meo abundare sensu item sinant. Ego autem talia, quæ desiderant, in scriptiuncula chirurgica, qualis mea est, jure omitti, aut aliunde cognita hic adsumi posse credidi. Haud enim nos anatomicorum librorum inopia premit, qui hæc abunde exponunt. Itaque nec iliada post Homerum canere volui. Propius vero ad rem meam facere utique videbatur cognitio variij status atque conditionis vesicæ calculosorum hominum. Inde enim prædictorum quorundam (47. 49. 50. 51.) plenior demum intellectus petitur,

## L I I I .

Calculus haud ulli parti corporis nostri infensor, aut frequentior, quam vesicæ, eam varie pro varia sui magnitudine, pondere, multitudine, figura, superficie, situ, adficit atque immutat. Usurpare mihi licuit ocu- lis apud Dn. *Morandum* calculos duos stupendæ magnitudinis; alterum saltem quidem in ectypo e cera confecto; alterum autem, illo licet paulo minorem, talem, qualis in ægro repertus fuit. Hic altitudine sua 6 dig. pedis Par. pondere vero 6 libras cum 3 unc. æquabat. Idem laudatus vir vesicam calculis pluribus onustam commonistrabat, atque præterea exem- plum ægri citabat, cuius vesica de lapillis continuit, quorum 26 ipse *Morandus* tum temporis exemit. Quam varia saepe calculi figura ! Vidi apud eumdem virum calculum crucis formam referentem, quod duo-hujus



rami ureteribus inhæserant. Alium qui acui crinali , quam petulantior puella fibimetipsi intrusera , accretus & veru quasi adfixus erat , acu utrinque prominente [ l ]. Et alia. Huc enim pertinent calculi botryformes , quos Galli *pierres meurales* vocant , quod superficie scabra , ac spiculis tuberculisque obliterata , mori fructum mentiuntur [ m ]. Statio denique calculi est varia , quandoquidem magis quiescit in hoc , in illo magis voluntatur ; quid , quodsi ad vesicam adhærescit ?

## L I V.

De calculi ad vesicam adhærescentia diu multumque disputatum fuit. Negant talem plurimi , adfirmant quidam. Inter illos sunt *Roussel* [ n ], *Alghisi* [ o ], *Lauzay* [ p ], *Color* [ q ], *Douglas* [ r ], *Denys* [ s ], *Morand* , plures. Hos inter autem fidem faciunt , *Heisterus* [ t ], *Le Dran* [ u ], *Senfius* , in cuius ultimi quidem observationem docte , ut nunquam non solet , commentatus est *Magnificus Platnerus* [ x ] , vir arte & facundia insignis , de quo , ut olim Præceptore in Academia Lipsiensi , sic hodie Patrono meo , multum glrior. Statim vero notari expedit , ne quem significatio vocis ludat , quod quando de calculi adhærescentia contentio est , non tam de ejus cohæsione cum vesica ex membrana , quam de ejus concretione , seu coalitione immediata cum eadem , litigari. Illam haud facile aliquis negaverit , utpote quam experientia sepius commonstravit [ y ] ; hanc

[ l ] Similes videri possunt in *Chefselden* high operation Tab. X. Aut. *Molinetti* Diff. Anat. Pathol. Venet. 1675. 4. p. 310.

[ m ] Vid. supra §. VII. it. alium in icona apud *Garengeot* des operations , T. II. pag. 283.

[ n ] Omnem omnino cohæsionem negat in hysterotomot. sua , sec. ed.

[ o ] *Tomaso Alghisi* Litotomia p. 24. in Firenze 1701. f.

[ p ] Diff. sur les operations de la pierre , Paris 1700. p. 211.

[ q ] L. c. p. 117.

[ r ] *Jo. Douglas* new method. of cutting for the Stone p. 6.

[ s ] Lib. f. c. p. 69.

[ t ] Cum excell. vir sectionem hypogastricam in viro quodam fecisset , aperta vesica , duos reperiebat calculos , quorum alter liber seu vagus , alter vero fortiter adhærente digitis & oculis sentiebatur. Post avulsionem & extractionem calculi crusta , quasi ex calce facta , eo in loco , ubi calculus adhæserat , percipiebatur , cuius pars sensim à vesica solubatur atque sub deligatione eximebatur. Cum tertio die æger decepisset , locus cui calculus adhæserat , manifeste prodibat , quippe calce quasi obductus. Vide has & plures circumstantias in Diff. f. c. de alto adparatu p. 41. seq.

[ u ] Duo commemorare solet exempla sibi obviam facta , alterum quidem in femina , cui per dilatationem urethrae calculum subtraxerat ; in hac præterea femina memorabile erat , quod post octiduum duo adhuc calculosa frusta sponte fecederent & cum urina profluenter.

[ x ] In Diff. de adhærescentia calculi ad vesicam , Lips. 1737. ubi quoque p. 28. allegatur obs. à *Scheidio* facta , lectu digna.

[ y ] Vid. cit. Diff. excell. *Platneri* p. 25. it. *Denys* p. 58. & excell. deque re anato-



hanc autem oœconomiae vesicæ plane adversari plurimi contendunt. Quando de calculi membrana sermo est, attendendum porro erit, quod alia magis spuria sit, ex viscositate quacumque calculo tenacius circumfusa, conflata [z]; alia vere talis à membranis vesicæ efformetur, dum calculius inter eas generatur, aut dum aliquis e renibus descendens, in transitu autem ad vesicam præpeditus, anfractuosam ureteris inter vesicæ membranas insertionem dilatat, aut plane perrumpit, sive hac data porta inter membranas dictas repit, donec alicubi tandem nidiueretur, folliculumque suum absolvat. Hic longior factus sacculum sistit [a]. Praeterea autem vesicæ haud raro plicas inter se conniventes, & calculum continentis; quin denique loculos, seu parvis marsupiis similia conceptacula, & Gallis hinc *poches vel culs des ac dicta*, ostenderunt. Vesicæ 20. omnino loculis distinctæ *Le dranis* aliquando meminit, addiditque se vidisse loculos ejusmodi tam vacuos, quam calculis onustos. An num hi olim fuerint clausi folliculi, postmodum saltem à calculo pertulsi? Tandem ut intelligatur, qui calculus cum vesica coalescere, seu huic immediate insidere possit, ea ab obtritu calculi aut ex lithontripticis remediis destructa, pessundata, fauciata atque exulcerata, cogitare debet. Si enim fieri potest, ut superficii ejus internæ abrasæ, nec amplius mucinosa limpha irriguæ, fabulum insidiat adhæreatque eadem ratione, qua aliis levibus corporibus, ut sunt acus, glans plumbea, & alia, adhæret. Quando vero vesica ulceribus scatet, pus item minorem calulum, arenasve vesicæ quandoque irretire & detinere posse, a veritate alienum haud esse videtur. Rarius vero accidet, sicut præclare monet excell. *Platnerus* [b], ut lympha mucinosa, qua vesica intus madet, & contra urinæ acrimoniam defenditur, fabulosam materiam remoretur, sive que calculum cum vesica coire faciat. Hæc enim sententia inde comprobari potest, quod calculosi oppido raro mucus ejusmodi tenaciorem mingunt, nec nisi semel id videre contingit saepius nominato *Le dranio*, viro, qui multa certe vedit. Ille vero mucus qui in lotio calculorum conspicui solet, ex frigore demum coit, & hinc impeditri potest, si matula aqua calida foyetur.

## L V.

Quicunque jam hactenus enarrata (53. 54.) & similia talia, quæ forte vesicæ inesse possunt, considerat, & vesicæ structuram atque naturam haud ignorat, is facile adduci poterit, ut credat, inde vesicam necessario graviter adfici ac immutari debere. Ita autem omnino fieri, experientia quoque exemplis bene multis probavit. Vix enim sunt calculorum vesicæ

I i 3

ulce-

mici meritisissimi *Vateri* Diff. de observ. rarissimis calculatorum generationem illustrantibus, Witteberg. 1726.

[z] *Tulp.* L. III. c. 2. *Bonet* anat. Pract. L. III. Sect. XXIII. c. 4.

[a] Qualem elegantem, intra vesicam propendentem, & tres calculos continentem descripsit & iconem expressit excell. *Vaterus* in Diff. supra cit. fig. 1.

[b] In Diff. f. c. p. 29. §. 17.



ulceratæ [c], quin à pure aliquando fere consumtæ [d]; scabré & inæquales redditæ [e]; excrescentiis ramosis foedatæ [f]; scirrhosæ & fungorum plenæ [g]; plicis, loculisque distinctæ (54); nunquam non denique multum arctatæ & angustiores factæ (34. 46) [h]. Præ aliis autem considerationem meretur, quod vesicæ calculose incrascentur, adeo quidem, ut crassitie ista vesicarum tunicæ aliquando digitum superaverint [i]. Nonnunquam denique accidere potest, ut vesica ex calculo in plures cystides, seu cameras, distinguatur atque cogatur; factum enim sic esse, laudatus sæpius *Morandus* rei exemplo aliquando probat [k]. Ratio vero, ut reliquas vesicæ affectiones, sic & hanc ejus mutationem passum facile explicat. Nemo enim forte negaverit, quod ex calculo, cum primis scabro, aculeato, similique tali, tener nerveusque vesicæ fæcus nullo negotio irritari, quin vulnerari possit. Jam autem ex irritatione spasmodum ac inflammationem; ex vulneratione vero ulcera vesicæ oriri posse, dubium noui est. Ulcera porro fungis & reliquo carni superincrecenti occasionem præbent. Inflammatio vero nunquam non aut resolutione, aut suppuratione, aut sphacelo, aut scirrho finitur, & hinc vesicas quoque duras & scirrhosas nonnunquam efficeret valet. Eadem porro autem incrassatæ non minus vesicæ calculose causa est. Dum enim in inflammatione humores harent, facile accedit, ut ex longiore mora lymphaticæ præsertim partes, albumini ovorum similes, coeant, atque solidescant, cum nec calor in inflammatione ablit. Vesicis calculosorum autem hæc eo facilius evenire poterunt, cum caufa inflammationem creans diurna utique sit, & hæc insuper pars corporis non tam sanguine rubro, quam multa lympha irrigetur. Spasmus autem denique efficere videatur, ut vesicæ calculosorum arctentur, licet hoc incrassatio tunicarum quoque conferat. Atque vero simile quidem est, quod quando omnes vesicæ fibræ spastice contrahuntur, ea undique æqualiter arctetur, quando vero alia modo atque alia ejus pars seu zona quædam fibrarum saltem convelluntur, ea non nisi qua hanc partem angustior fiat. Inde jam vesicæ cingulum quasi aliquod injectum esse adparebit, quod dum eam subligat, eo ipso hanc in duas aut plures cameras, dispescit, unde Gallis *veffes chambrees* audiunt. Anne eadem ratiocinatio de plicis in vesica nonnunquam reperiundis valebit? Anne denique de loculis vesicæ calculosorum? vacuis, aut plenis? Sed hæc delibasse hic sufficiat. Etenim jam receptui canendum est.

Con-

[c] Eller 1. c. p. 215.

[d] Tulp. L. 3. cap. 2.

[e] Ruyjeb Th. An. v. N°. 19. &amp; N°. 104.

[f] Id. ib. &amp; Th. An. 2. Aff. 3. N°. 5. Tab. 2. fig. 1.

[g] Morand, memoires de l'acad. des Sc. 1731. p. 211. ed. Bat.

[h] Eller, 1. &amp; pag. cit. 215.

[i] Ruyjeb Obs. An. chir. obs. 89. fig. 70. Id. Adv. Anat. Dec. 1. p. 8. Eph. N. C. Cent. 9. obs. 2. Heijster Diss. de alto adparatu p. 25. &amp; 44.

[k] Meminit eam vesicæ in duas cystides distinctæ, quarum quælibet sex calculos continuit, Bonet l. f. c.



*Conclusio Libelli.*

## L V I.

**P**Ostquam hactenus commoda atque incommoda methodi *Foubertianæ* ample satis disquisivi, id saltē impræsentiatum requiri adhuc videatur, ut de horum illorumve majore valore pronunciem, quo de usū methodi atque ejus præstantia constet. Verum enim vero laborem istum subterfugere prorsus, quam lubenter in me suscipere mallem, cum hic pro dictatura, quod aiunt, loqui haud liceat, verum res omnis curationi judicii lance expendenda sit. Arduum autem nunquam non est commoda & incommoda rei alicujus censere, cōsiderare, atque dimetiri. Accedere hic enim potest, ut alii alia forte methodi *Foubertianæ* commoda atque incommoda illis meis addant; alii demant quædam. Qui vero istas saltē methodi qualitates respicio, quas supra exposui, inde temerarius, injustus, atque suspectus judex videri multis potero. Attamen ne hinc *αστυμολόγο* plane discedam, aliquam de methodo *Foubertiana* sententiam ferre audeo.

## L V I I.

Dum autem jam eum in finem commoda methodi *Foubertianæ* juxta ejus incommoda propius colloco, ipse profecto hæreo, num hujus opportunitates, an vero pericula majora dicam. Cum vero insimul meminerim, omnes omnino methodos suis premi difficultatibus, suisque gaudere etiam utilitatibus, nec tamen rejici ubivis, nec vehementer laudari in omni prorsus casu; ita sane quoque de nova hac lithotomiæ ratione sentiendum esse intellexi. Tantum itaque abest, ut eam optimam, seu quod dicere volebam, universalem aliquam methodum, & reliquis, quotquot exstant, anteponendam esse credam: verum tantum quoque abest, ut eam prorsus rejiciendam esse cum bene multis censeam. Ut ergo aliarum, sic & hujus methodi selectio quædam facienda est, prout varia atque iterum varia ægri, calculi vesicæ, reliquæque rei conditio, aliam atque aliam methodum admiserit, quin postulaverit. Si vesica intus plicis multum distincta, aut ex calculo perquam angusta redditæ fuerit, methodus hæc potius omitti, quam in usum trahi debet. Vix etenim tali in casu absque formidine vulneris injuste multiplicandi (49) administrari posse videtur. Si vero vesica sat spatioſa deprehensa fuerit, securius utique acum defigere, sectionemque peragere licet. Interim tamen ut liberius mentem exponam, & dicam, quæ sentio, methodus *Foubertiana* vix adeo præoptanda mihi videtur, quamdiu sectionem lateralem super cathetere facere licet. Tametsi enim novæ methodi facilis administratio sit, id quod sane perplacet, displicet tamen incertitudine aliqua, seu quod modo has magis, modo illas partes magis sectio tangat, sicut nec aliter fere, propter aliam aliamque semper



semper vesicæ immutationem ex lithiasi , fieri posse supra ostensum est (50). Quando autem catheter adhibetur , partes has , quas incidere in votis habemus , constanti magis ratione incidi posse intelligimus , quoniam eas catheteris ope admoveare atque scalpello offerre quasi possumus. Verum quando accidet , calculoso catheterem immitti haud posse , & ad methodos , quæ absque ejus ope perficiuntur , configiendum esse , in eo casu sane methodus *Fouberiana* primum locum tenet. Præ aliis enim congenibus methodis ( sunt autem congeneres *Celsica* atque *Franconiana* ) hæc tuta , commoda , reique apta esse videtur. Si calculus inæqualis in collum vesicæ impactus fuerit , super quem vesicam in omni puncto dividere haud licet , methodus hæc felicenda est. Si calculi minores , glabri , similesve in vesica fuerint , quæ digitis prehendi & versus perinæum , ut methodus *Celsi* præcipit , adigi nequeunt , nova me. hodius denuo valet. Sed hos & plures casus jam supra (36) fuse exposui , ubi de commodis hujus methodi præ *Franconiana* insimul dixi. Ut itaque nunc modo duobus verbis hæc , quæ dixi , capiantur , dico , methodum *Fouberianam* potiori jure methodum necessitatis , quam electionis salutandam esse.

## L V I I I .

Mallem vero , ut publica aliorum hac de methodo judicia sequi , aut iis meam sententiam corroborare potuissim. Verum dolco etiam atque etiam , talia nondum constare , aut saltem haec tenus me latere. Sæpius enim miratus sum , quod per paucos sane inter ipsos chirurgos Parisienses invenerim , qui novæ hujus methodi historiam callerent ita , ut de ejus dignitate atque pretio firmius judicare possent. Bene multi vero facta ac imaginaria rei narratione me fellerant , antequam in autorem methodi ipsum inciderem. Innotescet autem hodie forte pluribus , postquam autor methodum suam ægris in nosocomio publico applicare coepit (7. not.) Sic etiam methodi hujus expositionem aliquam Exercit. *Duvernejus* , Chirurgus Parisiensis , atque Demonstrator Regius Anatomie & Chirurgie in Horto Regio , nupera hyeme publice primi faciebat. Dabit vero proxime , ut sperare fecit , ejusdem methodi descriptionem diligentissimus *Garengeotus* in nova , quam parat , chirurgiae sive editione. Hanc quidem eo fideliorem rei narrationem spero futuram , quo certius novi , virum istum rerum omnium satis curiosum esse , ac huic denique methodo maxime favere.

## L I X .

Quandoquidem vero in judicio , quod supra de methodo *Fouberiana* tulí , insignem ejus usum in casu denegati catheterismi esse dixi , tandem sub finem considerationis hujus breviter id jam agam , ut administrationem ejus magis ac magis commendatam efficiam. Erunt enim forte , quos infeliciter aliquando gesti negotii (48) vettigia terrent. Præterquam autem quod arduum lithotomie opus composite semper animo manuque peragere decet , pro evitandis erroribus



roribus nec inutile fortassis erit observavisse ea , quæ partim supra dictis im-  
misi, & sunt : vesicam fomentis balneoque frequenti in antecessum fovere  
(46) : dígito in anum demissó situm ac statum prostatae explorare (1) : retra-  
cta acu, stílum quendam in cannulam immittere (47). His nunc adde, si placet,  
fóssulam in cylindro acus fabricandam. Ista vero non solum in recta linea se-  
cundum integrum longitudinem cylindri exsculpi debet , verum ita quoque  
collocari ac confieri , ut in uno trium istorum laterum , quibus cuspis com-  
ponitur, desinat. Quando vero acus triquetra applicari debet , acus in can-  
nulam ita immittatur , ut fóssula , in acus cylindro facta , fissuræ , quæ in  
cannula est , respondeat , ita , ut cum ea unam quasi foveam profundiorem  
efficiat. In fóssula profundiori tali jam scalpelli mucro aut globulus commo-  
dius , certius , & absque metu delabendi conducí poterit. Pro certiori admi-  
nistrazione novæ methodi obseruandum porro est , quod acus triquetra haud  
profundius , quam quidem ad ingressum ejus in vesicam necesse est , intrudi-  
debeat ; expediet vero , postquam acus intra cannulam suam tantisper retracta  
fuerit (5) , cannulam ulterius impellere , ne vesica hac excidat. Sponte au-  
tem patet , acum nunquam non esse debere exacte mucronatam , & longiori  
cuspide , sicuti supra explicui (14) , donatam. Neque tandem obliviscaris ,  
hanc , antequam in corpus immittas , intra cannulam suam volvere , sive ro-  
tare , ne forte accidat , eam ærugine detineri , quando retrahenda postulatur.

## L X.

Itaque cum pluribus incommodis obviam eundi ratio jam commonstrata  
sit (59) ; vitia vero , quæ ex præcipitanter nimis gesto rei negotio fluunt , chi-  
rugo , non item methodo imputari debeant , nihil certe jam prohibet , quo  
minus methodus Foubertiana inter reliquas ordine suo collocetur ; verum  
quoque cum aliis in posterum addiscatur , ut pro re nata varia varius item æ-  
gro succurrendi modus præsto semper sit. Sic enim se gerunt summi in arte  
viri , ratio suadet , salusque ægrorum postulat [ / ] nec enim ideo , quod me-  
thodum hanc novam omni exceptione majorem haud agnoscam (57) , aut  
præstantiæ ejus , aut laudibus Autoris debitum quidquam derogatum volo.  
Nulla profecto methodus est , quæ quibuscumque sub circumstantiis æque per-  
fectæ titulo valeat. Ad majorem saltem perfectionem una atque altera accedit.  
Laudes vero honor. Autorem vel inde perpetuae manebunt , quod chirurgiam  
novo invento ditaverit , sicque & artis & nationis suæ gloriam avitam insigni-  
ter auxerit. Tantum.

## L X I.

Hactenus aliorum caussam egí , jam meam brevissimis adhuc perorabo , dum  
te Lectorem compello , ut , quæ minus adposite aut perspicue dicta repe-  
reris , humanitate tua , ac æquo de iis ferendo judicio interpoles. Utore

Tom. IV.

K k

itaque

[ / ] Vid. q. seq.



itaque his qualibus qualibus mecum , donec elegantior methodi hujus expositio ab autore aliquando oblata fuerit. Sufficit enim mihi , sicut & oblectationi est, quod hac in dissertatione *Tibi nuncium ferre potuerim*, ut spero, haud omnino inacceptum. Benevolam igitur interpretationem constitutum horum chirurgicorum, qui primi sunt, ex *Te redhostimenti loco jure quodam*, sed una precibus, ut decet , postulo. Neque tamen difficultorem chirurgiae materiam tractare ausus essem ; nisi rationes plures impulisset , ut praeter vindicationem honorum , quos ambio , collocati apud exteròs in chirurgiam studii rationem redderem iis , quorum intereft.

## E X P L I C I T.

[ m ] Vid. *Le Dran Parallel de differentes manieres , sub finem. Proposuit item doctiss. Jacobus Trant , quaest. in partem aff. an ad extrahendum e yelica calculum diversa pro re nata debeat usurpari Chirurgia ? Paris 1734.*



DISSE



C V.

Q U Ä S T I O  
M E D I C O - C H I R U R G I C A ,

*Quam Praeside*

M. J A C O B O T R A N T ,

*Tuebatur*

H E N R . F R Á N C . B O U R D E L I N ,

*Sub hac verborum serie ,*

*An ad extrahendum e vesica calculum diversa pro re  
nata debeat usurpari Chirurgia ?*

*Parisiis die 20 Aprilis anno 1734.*

K k 2

